Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

August Varenius Samuel Sommerfeld

Breviarii Theologici Controversiarum post publicatam Formulam Concordiae inter Theologos August. Confessionis agitatarum Dissertatio ...

17 : 1. Sanctitate Liberorum antebaptismali ...

Rostochii: Kilius, 1676

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074

Band (Druck) Freier Zugang

RU theol. 1676
Varenius, Aug.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0004
DFG

BREVIARII THEOLOGICI

Controversiarum post publicatam Formulam Concordiæ inter Theologos August. Confessionis agitatarum

DISSERTATIO XVII.

exhibens argumenta & χρινόμενα Theologica

De

1. Sanctitate Liberorum antebaptismali.
2. Raptu liberorum ad Baptismum.
3. Pædobaptismo salutari.
4. Fide adultorum antebaptismali.
5. De distinctione Catechumenorum & Fidelium Ecclesiasticâ, & cum illorum, tum horum distinctis classibus.
6. Pœnitentiâ Veterum.
7. Verbo promissionis Baptismali, & oppositâ sententia condemnationis.
8. Incredulitate sub regno Evangelii damnante.
9. Salute non baptizatorũ.
10. Peccato Originis damnante.
11. Incredulitate legaliter & respectivè Evangelicè consideratâ.
12. Quo respectu sola incredulitas damnet?

quam

MODERATORE ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ

Consensu Venerandæ Facult. Theolog.

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO, Seren. Ducum Mekleb. Consistorii Assessore, Theologo Professore, & Collegii Theologici Seniore,

publicæ collationi Academicæ submittet

d. XVI. Decembr. hor. ab 8. matut. in Auditorio Magno

SAMUEL Sommerfeld / Neo-Ruppinensis Marchicus.

ROSTOCHII. A. CIↃIↃC LXXVI.

d. JOHANNIS KILII, Academ. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0005
DFG

VIRIS

Apprimè Reverendo, Magnifico, & Amplissimo

DOMINO MICHAELI SIRICIO,

Doctori & olim in Giessenâ, nunc Rostochiensi Academiâ Professori Theologo celeberrimo, Consistorii Ducalis Assessori fulgidissimo, Serenis. Duci Mekleb. â Concionibus & Consiliis Sacris, ac Superintendenti Circuli Rostochiensis excellentissimo.

Reverendis admodum, Amplissimis & Clarissimis

DOMINIS

DN. REMBERTO Sandhagen / ædis Nicolaitanæ Rostochii Pastori, & venerabilis Ministerii Seniori Vigilantissimo,

DN. CHRISTIANO Teuber / Ecclesiæ Ruppinensis Pastori, & diœceseos illius Inspectori gravissimo,

DN. THOMÆ Sommerfeld / Ecclesiæ Caterboviensis in Marchiâ Electorali Brandeb. Pastori fidelissimo,

DN. DANIELI Stockfisch / Ovilis Herzebergensis Pastori meritissimo.

DNN. Mæcenatibus, Patronis, Parenti, Avunculo, eâ qvâ fas est, observantiâ & filiali reverentiâ devotissimè colendis

Dissertationem hanc Sacram Theologicam

dedicat

SAMUEL Sommerfeld / Neo-Ruppinâ Marchicus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0006
DFG

De sanctitate liberorum [illegible] sive alterutro Pa[illegible]
te fideli, altero vel [illegible]
baptismali, [illegible]
infideli [illegible]

[illegible]tissimum DN. RESPONDENTEM
N. SAMUELEM Sommerfeld/
Amicum dilectum.

ET tu decoræ haut infimum decus ROSÆ
Præclara post tot undiqvaqve Nomina
Qvorum levare se incipit dudum solo
Decora studii fama, post scientiis,
Qveis culta satis est florida adolescentia
(Ver illud ævi, qvo nihil præsentius
Capaciusq; disciplinas imbibit)
Bene præparatum pectus & sacrum DEO
Inserere nomen expetis *Breviario*,
Pugnas daturus in Coronâ floridâ
Varni Patrum, Commilitumq; nobiles
Et de *lavacro*, qvod tibi *Vitæ* fuit
Vitæ perennis *porta* prima, nobili
(Cui, qvicqvid alma Memnonis mittit parens
Undave Nauta lætus Eoâ advehit
Vel Attali fluentis auro gurgites
Qvi compararet, ille Vecors nil ageret)
Ac de *Lavacri* sanctioris *fructibus*
Dicturus illa qvæ pium Juvenem decent
Memorem salutis & timentem Numinis
Sacratiorum haut negligentem Fontium.
Tempestuosa cerne, qvàm sint tempora,
Qvàm turbulenta & luctuosa Tempora!
Delubra religionis & Sapientiæ
Et officinæ nobiles Scientiæ
Trepidant, jacentq; vastitate sqvalidæ.
Nec elegantioribus studiis decus
Honorve constat, aut dec
Ad alta na[illegible]

Apprimè Reverendo [illegible]co, & Amplissimo

[illegible] SIRICIO,

[illegible] Rostochiensi

[illegible] eberrimo Consi-

[illegible] ac

Horrore qvàtitur, fatá qv; vergant timens
Trepidumq; dubio pect[illegible] eventu labat.
Inter tumultus hosce dum ævi minæ
[illegible]diere ferri murmur & grave classici
Sublimiores atq; cœlestes Vias
Inire, consilium tibi & Deo Sacrum
Penetrare limen, personare publicè
Ex fonte *Fontem*, Sangvine Agni qvi rubet
Ferveq; flammâ sanctiore *Flaminis*
Maculas ut atras atq; sordes intimas
Abstergere animis possit, atq; criminum
Puros, & inde *Candidatos* reddere
Cœlestis aulæ. Laudo conatus tuos!
Sic perge publico applicare te bono
Et institutum mascnlè cursum exeqvi
Virtutis, artis, atq; doctrinæ viam
Pari tenore, pro virili Ecclesiam
Ut luce mentis, ingenio; dotibus
Juvare possis. Macte, doctrinæ sacræ
Æstiva per te *prata* flore ut germinent
Et adulta leni fluctuet Zephyro seges.
Instare perge! Sic honos, industriâ
Tuendus acri, comparabitur Tibi
Sic, te auspicato ducet ad metam gradu
Sacratus ardor, indolesq; Numini
Tuosq; Virtus prosperabit egregios
Ad alta nisus (spes Juventus in bonas
Pronata, & educata, speratam feret
Laudis coronam præmiumq; post graves
Studii labores.) Faxit hoc mapalibus
[illegible]blime cujus Numen haut abhorruit
[illegible]a Corporis

SAMUEL [illegible]

Matthiæ

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0008
DFG

SECTIO II.

De sanctitate liberorum, sive utroq;, sive alterutro Parente fideli, altero vel alterâ autem infideli natorum, antebaptismali, de raptu item liberorum Parentibus infidelibus natorum, ad Baptismum, & locis 1. Cor. 7. 14. Act. 2. 39.

§. 1.

DE illâ quoque quæsitum inter Theologos est, quin aspe-ratis animis, occasione moti in dogmate de *omnipræsentiâ Christi, ut hominis*, & Huberiani, *de Electione particulari*, certaminis, à quibusdam, veritate præjudicatâ magis, quàm consideratâ, causaque examinatâ (contra regulam Apostoli 1. Tim. 5, 21.) Clarissimi nominis & orthodoxiæ laudis Theologo Ægidio Hunnio, *sanctitas talis* asserta, *σημεῖον ἀντιλεγόμενον* domi est facta: quin, velut *Pelagianus & Zwinglianus error* notata, æquè ac aliæ, quibus usus fuerat Hunnius formulæ c. c. *Quidam infantes nascuntur intra Ecclesiam: Jus ad bonum federale sacramentale, non æquè habent infantes Gentilium ac Christianorum*: totumque illud, sub magno prætextu veri, quod *ante Baptismum*, ex æquo, infidelium ac fidelium liberi vel infantes, *sint caro ex carne nati*, sint *naturâ iræ Filii*, & *primus in Ecclesiam aditus s. ingressus infantibus ordinariè demum obtingat per Sacramentum* (in V. T. per circumcisionem, in N. T. per Baptismum), quod *ceteroquin universalis promissio restringatur*: sed & *fingatur Sacramentum* (olim circumcisionis, nunc Baptismi) *in quibusdam infantibus inane vel supervacaneum esse*. Ab Hunnio contrà, pro vindicandâ thesi, prolatus, minutiusque consideratus est locus 1. Cor. 7. 14. prout utrinque alter Act. 2. 39.

§. 2. Locus ipse Apostoli ante annos XXIII. in Anti-Calvinismo, art. de Baptism. Concl. 4. à nobis prolixiùs est vindicatus: Nec verò attinet pro Æg. Hunnio apologiam scribere, vel illum à præjudiciis superioribus vindicare, postquam ipse in posthumis chartis, in quibus adhuc vivit, satis sese ab illis imputationibus vindicavit, pariter, & damnavit hæreses, cùm Pelagii (*parvulos secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate non contrahere, quin sic eos sine ullo peccati originalis vinculo nasci, ut prorsus non sit, quod eis oporteat secunda nativitate dimitti, & baptizari eos non sic, ut ista renovatione ab aliquo malo veteris obligationis absolvantur: sed ut ista regeneratione adoptati de bono in melius transferantur, & ad regnum Dei admittantur* conf. August. l. un. de hæres. n. 88.) tum illam Zvvinglii & Sacramentariorum, sc. ex Adamo carnali nativitate trahi *morbum* quendam originalem, *nec tamen illum per se culpabilem & damnabilem* (vid. Zvv. l. de Bapt. tr. 3. in dig. de pecc. Or.) *sanctos ex gratiâ ex eadem gratiâ gignere sanctos, vi federis per fidem apprehensi, fidem parentum electorum, electis horum infantibus factam esse suam quoque ad federis in baptismo obsignationem, infantes Electorum nasci Christi membra, nec demum in Baptismo adoptari: sed jam ante hunc esse adoptatos, & non minùs, quàm Baptizati adulti, Dei Filios, nec adeo baptizari ut incipiant esse Dei Filii: sed quia jam sunt, & ante baptismum, vi federis habentur Dei filii,* (conf. Beza resp. ad acta p. 101. 102. 103. seq. idem quæs. & resp. Calv. l. 4. Instit. c. 15. §. 22.) quibus sanè & aliis hypothesibus, imprimis *absolutæ electionis, justificationis,* cum *electione* subjectivè convertibilis, denegatæ infantili ætati *regenerationis*, & *fidei actualis*, ipsiusque *fidei formæ* Sacramenti, sic ut *signatum* sacramentale *nullo modo* accipiatur, nisi *fide*, illos omnem Baptismi sacramentalis necessitatem è medio tollere, & ad

& ad Socinianorum ac Anabaptistarum litus latusque declinare, alibi prolixius est remonstratum conf. Anticalv. in assert. orthod. 2. art. 6. de Bapt. Concl. 1. ibidemque in Antithesi.

§. 3. Facit autem pro Hunnio Theologo expressa litera Apostoli: LIBERI VESTRI SUNT SANCTI, 1. Cor. 7. 14. Pro quo argumento considerandum 1. Talem prædicari *de liberis* sanctitatem, quæ habeatur ex ipsa conditione nascendi, vel *Generationis* à parentibus sc. quorum, si non uterque fidelis, tamen vel unus vel una sit *fidelis*, & sic, ut ille vel illa, *infidelis*, habeat συνευδοκίαν, *fideli*, salvâ religione Christianâ, etiam in liberos ex tali conjugio natos propagandâ, *cohabitandi*, conf. v. 13. qualis adeò sanctitas, sive alterutrius saltem, sive magis quoque utriusque parentis *fidelis*, in liberis jam dabatur *in statu ante collatum Sacramentum* (*circumcisionem* in V. *Baptismum* in N. Testamento) Considerandum 2. Talem hîc prædicari *sanctitatem* liberorum, quæ sit *causa conclusionis*, in ordine *ad sanctitatem Conjugum s. Parentum*, etsi saltem unius *fidelis*, prout hæc, in ordine ad illā, *causa rei*. Probatur ex illatione Apostolicâ. Atqve nec sanctitas federalis interna s. regenerationis & ἠθεσίας, nec sanctitas externa politica, quæ est *ex justis nuptiis legitimè procreatorum*, spuriis, velut politicè immundis oppositorum, est talis causa illationis, nec contrà talis sanctitas parentum causa rei respectu sanctitatis liberorum. Possunt enim liberi esse verè *fideles*, & parentes sive negativè sive positivè *infideles*, & iidem possunt esse *legitimo thoro nati*, licet parentes fuerint *spurii*: & contrà, possunt esse parentes *filii Dei* & legitimis nuptiis quæsiti, quorum tamen liberi, & non sint *filii Dei*. & sint *spurii*.

§. 4. Considerandum 3. de tali hîc agi *liberorum sanctitate*, quæ non poterat non præsumi, vel saltem magis præsumi in liberis sive utriusque sive alterutrius saltem conjugis fidelis, & tam non poterat præsumi, vel saltem minùs illa, magis autem *immunditiei* illi sanctitati oppositæ, poterat præsumi in *conjugio infidelium* & ex utroq; parente *infideli* procreatorum. Probatur pariter ex illatione Apostolica v. 14. Atque sanctitas illa *interna* ibi non poterat præsumi: sed hujus oppositum potiùs. Sanctitas autem illa (sic dicta) *politica*, quâ *sancti* opponuntur *immundis*, velut legitimè nati, *natis nothis* s. *spuriis*, non minùs poterat præsumi de nuptiis, vel liberis *infidelium*, quàm de natis sive ex utroque parente, sive ex alterutro, uno vel unâ *fideli*. Neque enim omnes nati inter infideles, sunt spurii: nec liberi fidelium omnes, legitimè s. justis nuptiis procreati. Considerandum 4. De tali hic agi sanctitate parvulorum, unde per modum ὅτι probatur *sanctitas* ipsius *parentis* privativè *infidelis*, *cohabitationi*, salvâ religione Christianâ, *non repugnantis*, quæque adeo inde ab *uno* parente *fideli*, derivetur æquè in alterum vel alteram *parentem infidelem*, ac in natam ex tali conjugio subolem, & proinde, de tali sanctitate, quæ & non est, nisi, sive ex utroque sive alterutro parente fideli procreatorum, & aliquando in sensu composito consistibilis est cum ἁπιστίᾳ s. *infidelitate* privativè sumtâ. Probatur ex argumento Apostoli, in quo τέκνα ἅγια s. *liberi sancti* (oppositi *immundis*, ponuntur, velut *medius terminus* & adeò velut aliquod γνωριμώτερον, quàm ὁ (vel ἡ) ἄπιστος, ἡγίασται (ἡγίασται) v. 14. velut quæ respectivè faciunt *conclusionem* intermediam. Atque sic, salva ceteroqui nuptiarum & inter infideles & fideles, indeque procreatorum, ex naturali & civili jure, communione, ut non magis ibi, quàm hîc nati, sint *spurii*, & sic *immundi*, Conjuges infideles extra Eccle-

siam

siam cum suis liberis censentur ab Apostolo *immundi*, non *sancti*: Conjuges, contrà, fideles, vel alteruter saltim positivè *fidelis*, & illorum liberi censentur non *immundi*: sed *sancti*, & ex posteriori probatur prius, & porrò ex illo priori probatur ultima conclusio Apostoli: Tale conjugium jam consummatum sub prætextu disparis *religionis, non esse dissolvendum*.

§. 5. Apparet inde, nec de *internâ* illâ federali s. regenerationis, nec de externâ *Politicâ*, sic dictâ, *sanctitate*: sed intermediâ illâ, externâ sc. *Ecclesiasticâ*, quâ Christianorum liberi Deo fidelibus parentum & Ecclesiæ precibus commendati, non saltem antequam renati: sed & antequam nati, proximos & patentiores habent aditus ad Baptismum, velut primum & solius Ecclesiæ bonum, ipsamque religionem Christianam, unà cum lacte materno imbibendam, præ parvulis vel liberis positivè infidelium (qui, quo respectu dicuntur nati extra Ecclesiam, illo ceteri *fidelium* liberi, intra Ecclesiam) rectè locum intellectum ab Hunnio. Conf. Pf. 51. 7. Pf. 71. 5. 6. 2. Tim. 1. 5. c. 3. 15. Neque V. C. *Nascuntur in Ecclesia*, i. e. *ubi est Ecclesia, inter fideles*, & ex parentibus, qui sunt *membra visibilis Ecclesiæ & fideles*, E. per (circumcisionem vel) Baptismum, non habent aditum (ordinarium) *in Ecclesiam Catholicam, communionem sanctorum*, nec per illum porrò jus ad cetera Ecclesiæ bona. Item: Infantes fidelium habent ex ipso beneficio suæ nativitatis inter fideles, & è fidelibus parentibus, aditum patentem & propinquiorem ad *Baptismum*, & per hunc ad omnia cetera Ecclesiæ jura & bona. E. infidelium liberi, *simpliciter nullum habent aditum* ad Ecclesiam, vel bona Ecclesiæ. E. *promissio* non est *universalis*. Committitur Paralogismus à dicto secundum quid. Conf. 1. Reg. c. 8. 33 39. 40. 41. c. 10. 1. 7, 8. Ps. 87. 3. 4 5. Ps. 147. 19. 20. Matth. 11. 21, 23. Act. 2. 39. c. 8. 27. 28. & seq. Parentes sc. privativè vel positi-

vè infideles & extra Ecclesiam, non habent Sacramentũ Baptismi, quo adeo, per parentum infidelitũculpā privantur liberi.

§. 6. Scilicet Parentibus *infidelibus* sive extra, sive intra Rempublicam Christianam, certo libertatis, etiam quoad religionem, pacto viventibus, sub prætextu baptismi, per vim surripiendi, & sic baptizandi liberi non sunt, nec intentio illa boni finis, absolveret Christianos raptores à crimine plagii, cum non sint facienda mala, ut eveniant bona, Rom. 3. 8. et character subditorum Messiæ sit *spontaneitas* s. ut sint עם נדבות Ps. 110 3. Summa equidem Baptismi necessitas: sic tamen, ut infidelibus obtrudendus haud sit, & horum liberi rapiendi, ut sic raptis conferatur baptismus. Nec Apostoli â baptismo inceperunt parvulorum: sed adultorum, nec, nisi conversis sive Parentibus, sive illis, in quorum potestate liberi fuerunt, & illis baptizatis, baptizarunt πανοικὶ, & sic ipsos quoque conversorum parentum liberos, & illis sivè *privativè*, sive *positivè* quoque antea infidelibus & sic hactenus סרוים, advocatis, vel adductis & baptizatis, demum baptizarunt quoque adductos à Parentibus vel nutriciis liberos conf. Act. c. 2. 39. c. 8. 12, 13. c. 16. 33. 34. 1. Cor. 1. 14 16. Ps. 68. 19. Is. 60 4.

§. 7. Scilicet quotquot liberi infidelium, etiam minorennes, à Domino advocati, ad Ecclesiam veniunt, & Deo intus illuminante vel trahente per *verbum auditum*, informationem catecheticam, & post hanc *Baptismum* petunt, sic ut agant & acturi sint ex lege Christi Matth. 19. 29. Luc. 9. 57. 58. 62. c. 14. 26. conf. quoque Deut. 33. 9. tales sponte venientes & συνευδοκίαν religiosam testantes, frustra habito Parentum dissensu, &, ne requisito quidem consensu, sunt *baptizandi*, & *fidelibus* accensendi Matth. 4. 22. c. 10. 37. Luc. 9. 58. Act. 5. 29. Par ratio sive *jure belli*, sive *mancipii*, vel ceteroqui

conven-

conventionis, transeuntium in potestatem Christianorum, quales, si adultiores, informandi sunt in fundamentis Christianæ religionis & baptizandi: si infantes, præviis utrobique Ecclesiæ precibus, Deo commendandi & baptizandi. Ceterùm de talibus casibus quæstio nulla: sed, an *infidelibus*, qui sive ex toto, sive ex parte sui sunt juris, vel certo pacto vivunt in Republ. Christianâ, & quidem, illis invitis, *liberi sint auferendi & baptizandi*, vel ipsi *ad extradendum liberos*, *ut baptizentur*, *per vim urgendi s. cogendi?* Hoc recte negatum ab Hunnio est. Talis enim raptus nec à Christo est mandatus, nec in praxi Apostolicâ fundatus: imo characteri temporum N. T. & subditorum Messiæ contrarius, conf. Ps. 110. 13. Is. 60. 3. 4. 8. Matth. 11. 12. quicquid sit de pacto, sub quo Infideles admittuntur, & suis juribus ac religioni quoque permittuntur vel tolerantur in Rep. Christianâ, quod si citra conditionem, per quam illorum conversioni prospiciatur, ineatur, illo nomine Magistratus Christianus rationem reddere tenetur Deo.

§. 8. Obj. 1. *Apostoli baptizarunt infantes extra Ecclesiam.* E. Resp. 1. A praxi Apostolicâ abstractâ ab omni imitationis mandato, ad obligationem practicam nō v. c. prout valet à praxi Apostolicâ concretâ cum institutionis mandato, ad obligationem vel necessariam observationem. Resp. 2. nonnisi conversis & baptizatis parentibus, & adeò citra raptū, nec parentibus invitis baptizarunt liberos. Obj. 2. Act. 2. 39. illud καὶ πᾶσι τοῖς μακρὰν. Resp. ex contextu immediatè sequenti: ὅσους ἂν προσκαλέσηται κύριος. Conf. supra. Obj. 3. *Christus jussit omnes gentes baptizari.* Resp. bono ordine, quem non excludit mandatum divinum. Obj. 4. *Nati ex carne, debent renasci. Infantes infidelium.* E. major ex Joh. 3. 5. Resp. à necessitate ordinariæ per Baptismum regenerationis, ad absolutam obligationem administrantis, & coactionem subjecti recipientis non

non v. c. Locus Joh. 3. 5. probat necessitatem Baptismi vel *regenerationis*, quæ fit *ex aquâ & spiritu*, nõ talẽ violentã *administrationis*, & alia ratio *natorum è parentibus*, qui jam actu sunt *intra Ecclesiam*, alia ratio *natorum è parentibus infidelibus* s. qui actu sunt extra Ecclesiam. Obj. 5. Ezech. 18.20. *Filius non portabit iniquitatem patris*. Resp. loco allegatus agit de delictis s. peccatis actualibus, & personalibus: non de *iniquitate Originali* connatâ ipsis liberis, & his formaliter inhærente. Resp. 2. Imò privatio illa Baptismi est iniquitas, non infantis: sed parentis, quam adeo non filius portabit: sed parens, qui Sacramentum regenerationis irreverenter habuit s. neglexit. Obj. 5. E. *omnes infidelium infantes simpliciter damnandi*. Resp. modo ordinario sunt damnati. Resp. 2. ex 1. Cor. 5. 12. Rom. 11. 32. 33. Concludimus ergo 1. *Infantes infidelium, peculiari quodam modo sunt immundi, præter immunditiem communem illis cum infantibus fidelium*. 2. *Infantes fidelium comparativè s. respectu infidelium, sunt sancti, & simul nascuntur, possunt fieri Dei filii. 3. Fides est donum Ecclesiæ*. 4. *Infideles, positivè inprimis*, quamdiu tales, vel sensu composito, *sunt extra Ecclesiam, alieni à testamentis* & consequenter *sacramentis* Ephes. 2. 11. 12. 5. *O. infantes extra Ecclesiam nati sunt baptizandi* (quatenus omnibus & singulis, Baptismus, velut lavacrum regenerationis, est necessarius, &, si illos advocaverit Dominus, omnibus illis Baptismus est administrandus) 6. *Infantes infidelium, qui nullo pacto vel conventione religionis venerunt sub jus & potestatem Christiani Magistratus, non sunt parentibus infidelibus, & his invitis surripiendi & baptizandi. Talis enim cultus violentus est, & non placet Deo.* Quæ omnia faciunt pro Hunnio.

SECTIO

SECTIO III.

De Pædobaptismo, an omnis, an non omnis subjectivè, s. ipsi infanti recipienti sit salutaris?

§. 1.

QUæsitum, an *non solùm ab adultis: sed & ab infantibus aliis, Baptismus recipiatur dignè ad salutem & vitam, ab aliis autem indignè ad judicium & mortem?* Affirmativam superiore seculo labente suam fecere quidam illorum, qui à subscriptâ formulæ concordiæ, propter affectum huic *ubiquitatis* dogma recesserunt, amarissimaque amaritudine Ecclesias Saxonicas aliquando affecerunt, etsi in illo, Martinum Chemnitium & Polycarpum Lyserum magnorum in Ecclesiam meritorum Theologos, in illo quoque de Baptismo Infantum dogmate Basilium Satlerum D. Theologum, Sereniſſimi Ducis Julii, Principis religioſiſſimi, Concionatorem Aulicum, vindices orthodoxiæ domi sunt experti, rectequeadeo tunc ab hoc, velut præcipuo Antagonista defensa est negativa sc. *à nullo infante baptismum sumi indignè*: sed *quodquot infantes baptizantur, illos etiam verè regenerari, adoptari, à labe originali purgari, sanctificari, usque adeo, ut si mox post baptismum, vel in illâ infantili ætate moriantur, vitam vel salutem æternam ipso actu consequantur.*

§. 2. Apparet facilè, quæ ceteroqui, sive de *Pædobaptismo*, Infantibus ad ingressum in regnum cœlorum necessario, contra Anabaptistas, sive de Sacramenti (Baptismi) *independentia* ab opere operantis, & vel sanctitate vel intentione virtuali ministrantis, vel dignitate suscipientis, vel de opere operato sacramentali, cùm quoad substantiam, tum quoad efficaciam, integroq; adeo, veri nominis & initerabili Baptismo,

etsi ab Hypocritâ confertur, & hypocritæ, & ipse effectus salutaris actu 2. sive nunquam deinceps, sive post longum demum tempus sequitur, contra Donatistas partim, partim *Papistas* & eosdem *Anabaptistas*, *Socinianos* quoque disputantur, ceteraq; quæ de distincto, quoad *fructum* vel *effectum*, adultorum Baptismo, (quos non omnes *salutariter* & sic percipere *Baptismum*, ut præter communem, etsi relativum, *effectum sacramenti*, aditum sc. & jus ad bona Ecclesiæ, quod prout per *circumcisionem* olim conferebatur omni circumciso: ita per *Baptismum* cuivis confertur, etiam *hypocritæ*, baptisato conf. Rom. 3. 3. Gen. 34. 22. 23. salutifero fructu baptismi fruantur, velut â quo per incredulitatem, hypocritæ, quales non dantur nisi adulti, excluduntur conf. Gal. 3. 9. 14. Ebr. c. 3. 19. 4. 2.) quæ item de *continuatâ regenerationis* in infantili ætate perceptæ *efficaciâ* moveri poterant, ad præsens κρινόμενον non facere, cum quæstio non sit, *de universali continuatione effectus regenerationis in infantili ætate per Baptismum perceptæ* (an sc. *omnes in infantili ætate baptizati & per baptismum regenerati, vel ex statu iræ & damnationis in statum gratiæ & salutis traducti, & in adultâ vel senili demum ætate mortui, in illo statu finaliter perseverent, & sic electi sint ac salventur?*) sed de ipsâ *regeneratione, ut effectu Baptismi universali*, omnibus *infantibus* baptizatis communi, sic ut omnes infantes baptizati, & mox post baptismum mortui, habendi sint non solùm, verè regeniti: sed & *prædestinati*, omnesque *salvandi*?

§. 3. Ne vero thesis hîc orthodoxa, præjudicata magis, & popularis, ac annosâ præscriptione valida, quàm examinata, vel, ut fundamento Prophetarum & Apostolorum minùs superstructa, & inde parum solida, videatur: *Infantes sc. omnes Sacramento Ecclesiæ baptizatos, actu ipso regenerari, & si mox, per ce-*

pto baptismo in infantili ætate, Dominicâ accersione, evocentur, & moriantur, salvari, probatur inter alia sequentibus argumentis I. *Masculus Israelis octavo die circumcisus, revera regenerabatur & adoptabatur à Deo*, & si sic moriebatur, à pœnâ *excidii è populis suis* (s. damnationis æternæ) præservatus salvabatur, Gen. 17. 7. 9. 12. 14. E. non minùs, sed magis quoque (propter non minorem: sed vel majorem abundantiam gratiæ in Baptismo, præ *circumcisione* Tit. 3. 5.) infans legitimè baptizatus. II. Cujus *Deus est Deus*, ille salvator. Atque omnis infantis, prout olim circumcisi: ita nunc baptizati, & ante pollutiones hujus seculi defuncti, *Deus est Deus*. E. Major ex Luc. 20. 35. 37. Ps. 33. 12. Minor ex Gen. 17. 7. 10. 12. Matth. 28. 19. Marc. 16. 16. Gal. 3. 26. III. Omnis *confidens Iehovæ*, & in *integritate* vel *simplicitate cordis ambulans, vel perseverans, salvatur*. Atque omnis infans per Sacramentum, Ecclesiæ insertus, *confidit Iehovæ*, s. habet veram fiduciam in Deum, &, quamdiu talis, perseverat *in sua simplicitate*. E. Major ex Ps. 26. 1. 6. 9. 11. Minor ex Ps. 71. 5. 6. Matt. 18. 2. 3. 6. Joel. 2. 16. Ps. 25. 7. IV. Pro quo facit argumentum à minori ad majus. Ab affectu sc. *paterno* vel *materno* erga teneram sobolem, ad affectum erga tales parvulos *divinum*, omnium parentum σπλάγχνα ἐλέους s. viscera miserationum, longè transcendentem ex Ps. 103. 13. Is. 49. 15.

§. 4. Nec minus V. Gnoma Apostoli, respectu infantium baptizatorum universalis: *Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis*. Gal. 3. 27. Quicquid ergo sit de consequente perseverantiâ, sive adultiores facti in illâ gratiâ perseverent, sive deficiant (Hebr. 3. 6. 12. 13. 14.) sive Christum per apostasiam vel peccata contra conscientiam commissa, exuant, sive Christo induti maneant, quamdiu infantes, *Christo induti* manent, & sic salvantur. VI. Sed

& facit pro illo axioma Salvatoris: Matth. 18.14. *Non est voluntas Patris vestri qui in cœlis est, ut vel unus ex istis parvulis pereat.* Si ne unus quidem. E. falsum quod multi tales, per Sacramentum Ecclesiæ inserti, nihilominus impœnitentium vel infidelium classi sint accensendi, velut, frustra habito baptismo, quippe qui multis vel pluribus baptizatis, nec regenerationis gratiam, nec salutem confert, æternum periturí. VII. Cui suavissimè correspondet φιλανθρωποτάτη Servatoris illa, Apostolorum, *parvulos* TALES *aditu Christi prohibiturorum*, tribus Evangelistis notata, cum annexâ ratione, increpatio, Matth. 19.14.15.16. *Sinite parvulos ad me venire, & ne prohibete illos! Talium enim* (πιούτων) *est regnum cœlorum!* Nec contentus Servator tali prohibentium elencho &, *aditus* talibus, ut *ad se veniant*, non intercludendi mandato, publicatoque de talibus infantibus judicio, quod sc. *talium est regnum cœlorum*, *amplexatus* quoque *illos infantes*, & *benedixisse*, ac *manus illis imposuisse* memoratur, Marci 10. 16. Nulla hìc discretio infantum; sed omnium & singulorum, quotquot Christo afferuntur s. per baptismum Christo inseruntur, *est regnum cœlorum.* Omnes adeò & singuli verè regenerantur, & ad possessionem regni gratiæ, & si in tali statu moriantur, regni gloriæ admittuntur.

§. 5. Vocabulo sanè πιούτων, primariò tales in dicto Servatoris intelliguntur, quales in historiâ Evangelicâ loco allegato ipsoque κρινομένῳ, quod erat, *utrum talibus aditus ad Dominum Jesum permittendus, an verò intercludendus?* expressè memorantur. At hi non erant adulti: sed *parvuli infantes*, per ætatem nondum sive fari, sive incedere valentes (sic ut bajulis opus haberent, qui ad Servatorem adducerent, & inde Apostoli indignè ferentes, per parvulos tales adductos, & horum bajulos, Magistrum interpellari, non

non ipsos parvulos ſ. τὰ παιδία: ſed τὺς προσφέροντας alloquerentur & objurgarent Marci 10.13. unde non ſaltim παιδία appellantur Matthæo & Marco: ſed βρέφη, quoq; Lucæ c.18.15. quod *infantilis ætatis* vel *recens natorum* puellorum nomen eſt: quin illa παιδία vel βρέφη ponuntur velut primum exemplum regulæ, definituræ: *qualium ſit regnum cœlorum?* Reſpondetur ſc. *talium infantum*, prout exemplum quaſi ſecundum ponuntur *adulti*, qui per converſionem fiunt, ut tales *pueruli*, & adeo *excipiunt regnum Dei tanquam puerulus* conf. Matth. 18. 3. 4. Marci 10. 15. Luc. 18. 17. unde fortiſſimè infertur: *Si adulti regnum cœlorum ingreſſuri, debent converti & fieri ſicut infantes, uſque adeò, ut ſi non excipiant regnum Dei, ſicut tales infantes, non ſint ingreſſuri in regnum cœlorum.* E. multò magis tales *infantes ingrediuntur*, vel ſaltem: E. *omnes infantes, quotquot per lavacrum aquæ in verbo adducuntur ad Chriſtum, in gratiam recipiuntur, regenerantur*, &, ſi mox poſt Baptiſmum moriantur, *de regno gratiæ ad regnum gloriæ transferuntur*: Prout ergo hoc modo rectè in voce πιστῶν ſubordinantur infantibus *adulti*, & intelliguntur l. alleg. ita vocem πιστῶν de ſolis intelligere *adultis*, hæreticorum eſt, Socinianorum ſc. Anabaptiſtarum, Svencfeldianorum.

§. 6. Probatur VII. Ex aureolo Baptiſmali Tit. 3. 4. ſ. 6. Noteturibidem 1. Baptiſmum appellari *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Notetur 2. prædicatum *ſalvandi*, quod prædicatur de Deo φιλανθρωποτάτω velut *causâ efficiente principali*, de Baptiſmo, ut cauſa *Organica*: *ſalvavit nos per lavacrum regenerationis.* Perinde nunc ſive vox ἀναγκαιώσεως immediatè referatur ad particulam διὰ, ſic ut hæc διὰ τοῦ κοινοῦ repetenda, & aſſumenda ſit æquè ante vocem ἀναγκαιώσεως quàm λουτροῦ, idque vel mediante copulâ, ut reddatur: *ſalvavit nos per lavacrum regenerationis & per renovationem Spiritus*

ritus S. sive sine copulâ, quomodo Syrus expressit אחין בסחתא דמולדא דמן דריש בחודתא דרוחא דקודשא, id est: *salvavit nos per lavacrum regenerationis, quæ fit denuo* (i. e. *quâ homo caro ex carne natus*, per *spiritum* denuo generatur, vel regeneratur) *per renovationem Spiritus Sancti*, sive referatur ad proximum, sine copula, quomodo Beza expressit: *per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus Sancti*, sive, quod optimum & consonantissimum textui, mediante copulâ, nectatur cum *regenerationis*, & per hoc cum *lavacri* vocabulo, ut illud διὰ referatur ad λουτρὸν s. *lavacrum*: ipse autem Baptismus dicatur *lavacrum 1. regenerationis & 2. renovationis*, quam sc. utramque in Baptismo operatur Sanctus Spiritus, etsi hanc ob incapacitatem subjecti, non nisi inchoativè. Notetur 3. *Deus secundùm misericordiam suam*, per baptismum *regenerans & ex merâ gratiâ justificans, sanctum illum Spiritum copiosè effudisse* dicitur in Baptismo *super baptizatos*. 4. Deus in baptismo intendit baptizatorum non solùm *justificationem*: sed & *glorificationem*, sic ut *justificati illius gratiâ hæredes efficiantur vitæ æternæ, imo jam nunc salventur*: ἔσωσεν ἡμᾶς *salvavit nos*, ait Apostolus.

§. 7. Quibus autem Baptismus *lavacrum regenerationis*, si non infantibus? Licet enim Baptismus in actu signato, semper sit *lavacrum regenerationis*, in actu tamen exercito non æquè lavacrum regenerationis est adultis, quàm infantibus. Aut enim illi sunt hypocritæ, aut verè credentes. Si 1. non *regenerantur* (ex stylo quidem Biblico: alia ratio Patrologici, vel popularis Ecclesiastici) in *Baptismo*: neque enim hypocrita ullus in sensu composito *regeneratur*, cum baptizatur, etsi ipsi deinceps converso salutaris esse potest *Baptismus* per *reminiscentiam*, & in illo operari μετάνοιαν, quod tamen immediatè imputandum fuerit *verbo*, æquè regenerationis

nostri

noſtri inſtrumento. Si 2. *verè credentes* ad baptiſmum venientes, jam ſunt *regenerati*, *juſtificati*, neque primò omnium *regenerantur* vel *juſtificantur* dum baptizantur: ſed fides jam ante donata, & juſtificatio continuatur, ipſaque *regeneratio & remiſſio peccatorum* (prout Abrahamo per *circumciſionem* Rom. 4. 11.) certificatur & obſignatur, etſi hoc ſenſu *regenerari* quoque in Baptiſmo dicuntur. At infantes in Baptiſmo accipiunt *primam gratiam*, ipſamque fidem, quam ad baptiſmum non afferunt: ſed in baptiſmo demum accipiunt, & per talem *primam* fidei juſtificantis *donationem*, juſtificationem ſ. *peccatorum remiſſionem*, primò omnium, hactenus non niſi *caro ex carne nati*, regenerantur ſ. ex *ſtatu iræ in ſtatum gratiæ divinæ traducuntur*, atque ſic per illud *lavacrum* juſtificantur, ſalvantur, & per miſericordiam Dei, *hæredes efficiuntur vitæ æternæ*, hæreditatem actu adituri, ſi mox poſt perceptum tale lavacrum regenerationis, mundati jã ſanguine agni, hinc excedant, vel adultiores in tali gratiâ perſeverantes diem ſupremum obeant, conf. Hebr. 3, 14. c. 4. 11. c. 6. 11. Nulla hîc datur limitatio, per quam illa beneficia reſtringantur ad quosdem ſaltem Infantes baptizatos, excluſis longè plurimis, qui nunquam regeniti in baptiſmo fuerint.

§. 8. IIX. *Infantes baptizati vincunt mundum, agnoſcunt patrem cœleſtem, credunt in Jeſum Filium Dei, & per nomen ejus habent remiſſionem peccatorum.* Conf. 1. Joh. 2. 12. 14. c. 5. 1. 5. Neque hîc rurſus datur ἀξιολὴ infantum, ut alii accipiant baptiſmum, *qui* ipſis *ſit lavacrum regenerationis*, alii, quibus tale *lavacrum* non ſit: vel, ut alii ſic accipiant, *ut regenerentur*, & à tyrannide Diaboli liberentur, alii accipiant quidem *lavacrum regenerationis*: ſed nihilo minùs maneant, *ſub principe poteſtatis hujus mundi*, nempe *Diabolo*. Abſurdum illud & blaſphemum conſequens.

§. 8

§. 9. Probatur IX. ex pulcherrimâ ſententiâ libri Sapientiæ, non quidem verè proprièque Canonici, inter Apochryphos tamen primarii & maximè Eccleſiaſtici, de quo conferatur Auguſt. l. de Prædeſt. Sanct. c. 14. & alibi: unde argumentum: *Cujus intellectum malitia erat mutatura, & animum dolus decepturus, is, ſi infans*, (circumciſus olim, nunc, baptizatus) *eripiatur, brevi conſumatus implet tempora longa, quia ſc. grata fuit Domino ejus anima, propterea feſtinavit eum tollere è medio improbitatis*, Sap. 4. 8. 9. 10. & ſeqq. Conf. exemplum 1. Reg. 14. 13. qui medius terminus ex hypotheſi contrariâ planè expirat.

§. 10. Probatur X. ex fructu contrarii dogmatis, unde judicandum de *mala arbore*. Comparatur in ſcripturis Propheta vel Doctor *arbori*, ejus doctrina *fructui* ſ. פְּרִי עֵץ juxta illud Jeremiæ c. 11. 18. *Perdamus arborem* (Jeremiam Prophetam) cum *fructu ſuo* eſculento, (i. e. cum *doctrina* vel *vaticiniis ſuis*) &, prout *verus Propheta*, arbori *bonæ*, ita *Pſeudopropheta putri arbori*, *cujus putres fructus* Matth. 7. 16. 20. Nec poteſt eſſe *ſana doctrina*, & κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία, quæ non id præſtat, ut per *tolerantiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habemus*, Rom. 15. 4. Atque illa talis eſt. E. Minor probatur. Dogma illud de ipſis Infantibus baptizatis, ex conſilio & decreto Dei ſic diſcretis, ut ſaltim *quidam* in Baptiſmo *regenerentur*: alii autem, & vel longè *plurimi* nec fide ſalvificâ in Baptiſmo donentur nec *regenerentur*, intercipit certitudinem ſalutis infantum baptizatorum, cùm *baptizatis* ipſis, qui ſi ſupervivunt, adulti, certi eſſe non poſſunt ſe in infantiâ accepiſſe Baptiſmũ regenerantem, tum vero horũ *parentibus*, ſive illi adultiores moriantur, ſive infantes, & omnimodam adeò *conſolationem* & *ſpem*, non ſaltem de Infantibus ante vel extra Baptiſmum mortuis: ſed & de ipſis *baptizatis*

ptizatis, cum ex illâ hypothesi nulli Parentes, utut baptismum suorum parvulorum summâ solicitudine curaverint, certi esse possint, infantes suos in baptismo verè regenitos & *hæredes vitæ æternæ*, redditos: sed & illam sub duplicato *Amen* adeò asseveratam Servatori necessitatem Baptismi deminuit, dubiamq; facit. conf. Joh. 3. v. 5. E. est mala arbor & ex genere illarum *plantarum, quas non plantavit Pater cœlestis*, Matth 15. 13.

§. 11. Probatur XI. Dogma illud contrarium, annulum cohærentiæ ostendit cum damnatis hæreticis. Præter Anabaptistas sc. notandus: sed & vitandus hîc Syncretismus, non saltim *Calvinianus* est: sed & *Socinianus*. De hoc vid. Smalc. contr. Francium disp. 10. De illo Beza in præf. resp. ad acta p. 23. *Non omnes*, inquit, *pueri, reipsâ, in illo momento baptismi regenerantur: sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato consequuntur. At non in omnibus baptizatis istud evenit: solis enim electis, donum fidei, & quæ illud necessariò consequuntur, Dominus, quo ipsi visum est tempore, largitur.*

§. 12. Nec valent objectiones e. c. 1. *Non omnes adulti, actu regenerantur, dum baptizantur. E. nec omnes infantes.* 2. *Quos Deus non elegit ad Vitam æternam: sed reprobavit, illos etiam in baptismo non salvat* vel *regenerat ad vitam æternam.* 3. *Deus quos vult, miseratur, quos vult, indurat. E. Deus jure absoluto agit quoque in ipsis infantibus*, ut horum quidam, dum Baptismum recipiunt, *regenerentur*, alii & longè plurimi, non. Præterquam enim, quod in illis, incrustatio appareat Calviniana, respondetur ad 1. committi *Paralogismum parium*. In quæstione sc. de Universalitate vel amplitudine subjectiva effectus vel efficaciæ sacramentalis, nec ab Infantibus ad Adultos positivè, nec ab Adultis ad Infantes negativè, legitimè infertur. Regeneratio Adultorum prima spiritualis

extrasacramentalis est, s. quæ non, prout infantum, incipit à *Sacramento*: sed antecedens Sacramentum, incipit à *Verbo* sive *lecto* sive *prædicato*, etsi obsignatur in *Sacramento* Rom. 4. 11. At Infantes regenerantur in *Sacramento*, ex quo & primam habent gratiam & *fidem* donatam, & *regenerationem*, & *renovationem* inchoatam. Ibi Sacramentorum usus subordinatur Verbo Antecedaneo, velut primo illius regenerationis medio, per quod illorum cor ex *lapideo fit carneum*: in his *Verbum*, & hujus prædicati usus, sequitur Sacramentum. Unde adultis *doctrina baptismi* cognita esse debet ante *usum*, non autem infantibus. In illis requiritur *professio fidei ante baptismum*, ad removenda gratiæ conferendæ obstacula Act. 8. 37. In his Spiritus S. operatur *fidem*, *regenerationem*, *renovationem*, etsi, nec externè verbum, prout adulti, audiunt, nec ore *confitentur*. In illis dantur *hypocritæ resistentes Spiritui S.* quales non dantur in his, & ibi adeo obstacula *regenerationis*, qualia non hîc. Respondetur ad 2. Committitur petitio principii. Supponitur *absoluta electio* cùm ratione finis, tum mediorum, & horum, ut *absolutè* ordinatorum. Supponitur: *Omnes regenitos esse electos, & omnes non electos, non esse regenitos*, sed & efficaciam Baptismi dependere ab *arcano absolutæ electionis*, quæ omnia ἱεραπλογίας ostendunt Calvinianas. Limitatur ergo major: *Quos Deus absolutè non elegit: sed absolutè reprobavit* &c. sic concessâ majore negatur minor. Resp. ad 3. conf. supra ratione 3. 4. 5. unde constabit *omnes infantes baptizatos & in infantili ætate defunctos, pertinere* ad oppositum illud: *Quos vult, miseratur*. Rom. 9. 18. & illos de quibus Joh. 5. 21. *Filius, quos vult, vivificat.*

§. 13. Ita ad illa, quę ex *Patribus* objiciuntur, præter exceptionē illam peremptoriā, quæ ubiq; valet, contra objectā *Patrū*, etsi *catholicorum & laudatorū hominū, authoritatem*, ex illis quæ haben-

habentur in ipso Jure Pontificio *dist IX. can. 3. 4. 8. 9. 10. Aug. epist. 19. ad Hieron. l. 2. cont. Cresc. c. 31. 32. l. de Un. Eccl. c. 3. 4. 15. 16.* ex quâ libertate, *ad quam nos DOMINUS vocavit*, Augustinus & contra *Pelagianos* objicientes præcipuè *Ambrosium*, & contra *Donatistas* egit objicientes *Cyprianum* vid. Aug. *l. 1. de grat. Christi contra Pel. & Cæles. c. 38. 44. 45. 48. 49. l. 5. cont. Don. c. 26.* præter, inquam, hæc, & genuinam in processu Theologico ex Patribus disputandi methodum & modum *Augustinianum* (conferatur Aug. *l. 1. de gr. Christi contra Pelag. c. 45. l. 2. cont. Cresc. c. 1. & 32.*) committitur *Ignoratio Elenchi.* Augustinus in locis objectis, sive de *adultis* loquitur, & baptismo ab *hæreticis administrato*, an talis validus, & quousque se extendat illius effectus? an etiam ad remissionem peccatorum? An *redeuntibus ab hæresi ad Catholicam, alius baptismus sit dandus*, quæ nihil attinent ad causam præsentem: sive de *Infantibus* quidem: verùm non aliâ fine, quàm ut ostendat: *Infantibus Baptismum prodesse posse, sine tali conversione cordis, qualis requiritur in adultis*: prout contrà, in *Latrone* fuerit *conversio cordis*, sine *Baptismo*, Deo *sc, per gratiam in Infantibus supplente conversionem*: in *Latrone*, *Baptismum.* Loquitur quippe Augustin⁹ non de quibusdam *infantibus* Baptizatis: sed *omnibus*, nec de conversione simpliciter: sed tali, qualis est adultorum, e. c. *Latronis conversi*, & quod *corde credebat, ore confessi*, qualem conversionem & pœnitentiam licet infantibo deesse agnoverit, prout ipsam etiam alicubi *actualem fidem*, nuspiam tamen infantibus baptizatis *portam cœli* præclusit, vel *salutem æternam* denegavit: quin *implet*, inquit, *hic Omnipotentis gratia, quod ex ætatis deest indigentiâ*, unde & *non inaniter baptizari infantes*, dogma appellat, quod *universa tenet Ecclesia*, conf. Aug. l. 4. contra Donatistas c. 24. 25. Jamjam notavimus, *Augustinum* universaliter loqui de Infantibus ba-

ptizatis, ut adeo nihil inde pro particularitate *quorundam* (c. *infantium baptizatorum*, quibus arcano Dei consilio *fides & regeneratio* denegetur. Sed & *omnes Infantes baptizatos* in credentium & adeo *salvandorum* classe collocat Augustinus, etsi de *fide propriâ infantum* sic loquitur, ut in illo illum dogmate ubiq; sequi tutum non sit. Eadem ratio ceterorum, quæ ex *Cypriano* afferuntur pro *Pædobaptismo*, æquè ac *baptismo adultorum*, necessario, neque, prout *circumcisio*, octavo die circumscripto, nec adeò differendo. Nihil inde pro parte hic olim adversâ.

SECTIO IV.

De fide adultorum, utrum illa in his detur ante Baptismum, an demum in Baptismo?

§. 1.

QUæsitum, *an Adulti ad Baptismum accedentes, revera non-nisi professionem quandam historicam, de Christo credendorum afferant, veram autem fidem justificantem demum in Baptismo infusam accipiant?* Ita sanè quibusdam visum, pro quibus videbatur militare praxis antiquitatis, in quâ *Catechumeni* contradistinguebantur fidelibus. Scilicet Christiani in duos quasi ordines secabantur, unum *Fidelium*, alterum *Catechumenorum*, Catechumeni iterum in duas classes unam τ̃ ἀκροωμένων s. *audientium* (unde & locus, in quo audiebant concionem vel informationem, appellatus ἀκρόασις) alteram τ̃ συναιτούντων s. *competentium*, ita appellatorum, quod post expletum in *acroasi* illâ catecheticâ sive longius, sive brevius (etsi ipsis eruditione seculi fulgidis utplurimum prolongabatur) informationis tempus, *simul petebant* velut *Competitores* s. Candidati, Baptismum, quem impetraturi prius per 40. dies tenc-

tenebantur in illâ *candidâ* intereſſe explicationi ſymboli, unà cum *oratione Dominicâ*, ab ipſis deinceps ad *baptiſmum* recitandi.

§. 2. Informatio illa peculiaris *competentium* ſymbolica, ſolemnior erat per proximum octiduum, ante *Baptiſmum* ſ. inde *à Dominicâ palmarũ*, quam vocant, quo expleto in *ſolenni Paſchali*, & intra illam octavã, poſt recitata noviſſima ſymboli verba: *Credo carnis reſurrectionem, & vitam venturi ſeculi*, baptizabantur ſ. prout loquitur Chryſoſtom? εἰς τὴν πηγὴν τῶν ἱερῶν ναμάτων, i. e. *in fontem ſacrorum illorum fluentorum demittebantur.* Porrò ex illo lavacro aſcendentes (conf. Cant. 4. 2.) canebãt Halleluja, ac transibant ad claſſem, & locũ *fidelium*, ſic ut deinceps, & vel proximâ Dominica, cui inde nunc quoq; remanet nomen *Quaſimodogenitorum*, non amplius conſiſterent inter catechumenos ἐν ἀκροάσει: ſed inter baptizatos, & ἐν συνάξει, jam etiam ad S S. Communionem Evchariſticam admittendi, cum antea non ab hac ſaltem: ſed & *Baptiſmo*, imo & ab ἀυλοψίᾳ Sacramentorum arcerentur, & voce Levitæ ante *offertorium* exire juberentur, quin Sacramentalia agenda in publicâ concione, cui catechumeni intererant, non apertè pronunciarentur: ſed quò illa myſteria à Catechumenis ardentiùs appeterentur, eò honorabiliùs occultarentur, quippe quæ habebantur velut ἀπόῤῥητα, ad Catechumenos, velut ἀμυήτους ſ. *myſteriis nondum initiatos*, non efferenda: ſed ſolis μεμυημένοις, ſ. *per baptiſmum jam initiatis* reſervanda, & his dilucidè exponenda.

§. 3. Porro fidelium tres claſſes erant, prima *Clericorum*, quo nomine omnes ordines Eccleſiaſtici intelligebantur: ſecunda *fidelium*, i. e. Laicorum, qui, prout loquitur Bellarminus lib. 1. de pœn. c. 22. commune nomen retinuerunt, cum aliud excellentius non haberent. Tertia *Pœnitentium*

tium, qui etsi fideles essent, tamen ob culpam suam à ceteris fidelibus segregati, &, ut idem loquitur, in sentinam quasi Ecclesiæ rejecti peculiari nomine censebantur. Neque adeò in hâc classe collocabantur, qui quoquomodo *pœnitentiam agebant*: sed qui *publicam & solennem pœnitentiam*, sic ut jejuniis & orationi, sacco & cineri incubantes, assiduè operã darent, cuj? pœnitentię, quoad ipsa loca, quinq; gradus recensentur Gregoro Neocæsarienſi sc. in 1. pœnitentes fuerunt cœtu excluſi, *extra Ecclesiæ portas* consistentes, & flentes, ac orationes fidelium ingredientiũ pro se postulantes, qui dicebantur esse in προκλαύσει. 2. *Intra portas jam admissi*, cum Catechumenis stabant in ἀκροάσει, admissi sc. ad audiendum verbum in loco ab altari remotissimo, non autem ad *Orationem* cum *Competentibus*. 3. Inde, expleto tempore, plus ultra etiam ad *Orationem* admittebantur cum *competentibus*, sic tamen, ut arcerentur adhuc *S. Cœnâ* & statu *inter Fideles*, & sic essent in ὑποπτώσει. Porrò 4. admitterentur ad σύστασιν, i.e. ut *starent* inter *Fideles*, & deinceps interessent quoque *Sacræ Cœnæ*: sed nondũ admitterentur ad ipsam *Cœnæ communionem*. Denique 5. expletâ jam pœnitentiâ, stabant in μεσώσει, usque ad diem, quo solemni ceremoniâ reconciliabantur Ecclesiæ, qui erat feria V. in cœnâ Domini, ubi jam ad communionem mensæ Domini admittebantur. Prout sc. ordinariè *feria IV. ante primam Dominicam Quadragesimæ*, (cui inde adhuc ab *aspersione cineris* pœnitentiali nomen, der Aſcher Mittwoch/) pœnitentia publica imponebatur: ita *tempore pœnitendi expleto*, (quod aliis serius, alis longius & vel 7. 8. 9. 10. annorum imponebatur) feria V. majoris hebdomadæ proximæ antepaschalis sc. planè solvebatur, quâ ipsâ pœnitentes reconciliati Ecclesiæ mox communicabant: Conf. de his pœnitentiæ gradibus Conc. Nicen. can. 11. 12. Con. Ancyr. can. 4. 5. 6. 9. Epistola

la quæ fertur Innoc. I. ad Decentium Episc. Eugub. cap. 7. Cypr. Serm. d. lapsis & alibi.

§. 4. Redimus ad *Catechumenos*, de quibus & illorum Informatione Catechetică, vid. Cypr. l. 3. ep. 17. & ep. 22. ubi meminit à se consensu Presbyterorũ, Doctorum & Lectorum, *Optatum Doctorem audientium constitutum.* Imprimis autem dignissimus lectu est libellus August. *de Catechizandis rudibus ad fratrem Deogratias*, ubi & meminit Arnobii, qui cum frustra diu popposcisset, Episcopo *verito, ne Vir seculari tumens eloquentiâ Sacramento fidei illuderet*, & propterea differente, contra pristinam suam religionem scripserit insigne volumen sub titulo: *Adversus gentes*, quod etiam nunc extat. Sed & Chrysostomus, qui explicaturus pro concione textum Paulinum de Baptismo ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, 1. Cor. 15. 29. & exagendis Baptismalibus illi loco illustrando quædam adducturus, protestatur, *sibi integrum non esse audientibus Catechumenis apertè de illis loqui*, & ad ἀμυήτους ἐκφέρειν τὰ ἀπόῤῥητα vid. ille hom. 40. & Augustinus tract. 96. in Johannem, ubi: *Sacramenta*, inquit, *fidelium Catechumenis non produntur.* De informatione illa peculiari *Competentium* symbolică vid. Hier. Ep. ad Pammachum, & Ambrosius de se ipso, quomodo *dimissis Catechumenis Symbolum Apostolicum Competentibus tradiderit*, vid. ep. 53. & de octavâ novissimâ Concil. Agathense can. 9. vid. quoque Tert. l. de pœn. & in illum Rhenanus.

§. 5. Licet autem sic distinxerint inter *Catechumenos & Fideles*, quin aliquando usq; adeò disparaverint illos ab his, ut nullam planè illis fidem concedere, quin simpliciter ante baptismum numeris, nomine, omniq; mensura nominis *Fidelium* exautorare, imo simpliciter illos *ante perceptum baptismũ mortuos* vitâ æternâ excludere videantur, quomodo Chrysost. hom. 24. in Johannem: *Inter Catechumenum*, inquit, *& Fidelem, non dari externum Spiritum, nec cœlestem: Sed lutei sal-*

tem

tem corporis, & terrenam conjunctionem vel cognationem: Imo *aliena illis esse omnia*: ἀλλότριος, inquit, ὁ κατηχούμενος τῆς πίστεως, *non habere idem cum fideli caput, non eandem civitatem, vel patriam cœlestem*: cœlestia sc. *solorum fidelium* esse, *Catechumenorũ* non nisi terrena. Imo quod durissimum, *fideli*, inquit, *Regẽ esse Christũ, Catechumeno, peccatũ & Diabolum: illi patriam esse cœlum, huic terrã*, nullãq; adeò verã inter illos dari κοινωνίαν vel cognationem *spiritualem*, quin, ἀπροσδοκήτως ἐλευτῆς ἐπελθούσης, *s. si inopina & repentina mors*, quod tamen optat ne fiat, *Catechumenos* nondum *baptizatos invadat*, sic ut contingat illos ἀμυήτους ἐντεῦθεν ἀπελθεῖν *s. illos baptismo non initiatos hinc exire*, nihil aliud illis expectandum denunciet, quàm *gehennam, vermem venenosum, ignem inextinguibilem, & catenas indissolubiles*. Vid. ille hom. ad c. 3. Joh. v. 5.

§. 6. Nihilominùs, cum 1. Patres veros Catechumenos æquè sub nomine Christianorum intellexerint, quàm, quos contradistinxerunt illis, *fideles*, cum 2. non facilè veri Christiani nomen mereatur, nisi qui *fidelis*: sed & inter ipsos Catechumenos, gradus admiserint & illos *Competentes* sublimiore loco habuerint, quos etsi nondum baptizatos, glorioſis & splendidis ex sacrario elogiis dignatus Chrysostomus in exp. symb. *Vos*, inquit, *genus electum, vos grex novellus Dei, qui competitis à Rege Regum, & Domino Dominorum munus gratiæ, qui baptismum salutarem speratis vobis affuturum, audite professionis vestræ verba*, *porrò* cum 3. distinguant quidem *Catechumenos à fidelibus*: vid. Tert. lib. de præscript. ceterùm sic, ut, prout Augustin. tract. 4. in Joh. dicant: *Catechumenos tamen esse in Ecclesiâ (Christiana)* quin Tertull. l. de Pœn. *Negat alium esse intinctis Christum, alium audientibus, & sub uno adeo conjungit capite* (contrà quàm suprà Chrysostomus, nullam admittens communionem inter *Catechumenos & baptizatos*) quin idem Tertullianus, non demum à Baptismo deducit *fidem* adultorum:

sed

ſed, *Lavacrum*, inquit, *illud*, *obſignatio eſt fidei*, *quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur*, & Auguſtinus in breviculo collationis, collat. 3. Catechumenos, dicit, *poſſe habere interna dona Spiritus S. Fidem*, *ſpem*, *charitatem* & ſi illa habeant, eſſe *de animâ Eccleſiæ*: quin, cum *Catechumeni* admiſſi fuerint, non ſaltim ad *audiendum verbum fidei prædicatum* (de quo vid. Rom. 10. 8. 9. 10.) ex quo *prædicato & audito* naſcitur *fides in adultis*, conf. ibid. v. 17. Iſ. 55. 10. 11. Rom. 1. 16. ſed & ad *externam & publicam profeſſionem fidei*, velut, citra quam adultorum nemo baptizabatur (prout ex antiquitate jam ſupra notatum) hâc ſanè ratione *Catechumeni*, *competentes* ad minimum, cùm revera, tum ex hypotheſibus conceſſis, & vel ipſorum *Patrum* judicio, habendi fuerint, velut non ſolùm *de animâ*: ſed & quoad illam *externam profeſſionem*, *de corpore Eccleſiæ*, etiam ante actualem communicationem ſacramentorum, & ſic uniti *Chriſto capiti & interius*, *& exterius*, ac tales de quibus Apoſtolus Rom. 10. 9. *Si profeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum*, *& credideris in corde tuo*, *quod Deus eum ſuſcitaverit ex mortuis*, *ſervaberis*.

§. 7. Cum 4. pœnitentes, etiam claſſis infimæ, omnibus Catechumenis poſtponi ſolitos admiſerint, quib⁹ ab altari remotiſſimè & extra portas templi ſubſiſtendum erat in προκλαύσις (vid. ſupra §. 3.) multò magis illos in ἀκροάσις admiſerint in claſſem *fidelium*, non obſtante diſtinctione, prout inter *Catechumenos & Fideles*: ita & inter *fideles*, *pœnitentes & catechumenos*, vel *competentes*; vid. Aug. l. homil. 50. n. 49. Pacianus in paræn. ad pœn. Aug. l. de Virginit. c. 48. Cum 5. non obſtante alicubi duriore ſententiâ quorundam Patrum, e. c. Auguſtini, Autor. l. de Eccl. dogm. c. 74. & ſuprà Chryſoſtomi, mitiores hìc alii fuerint, qualis Ambroſius in oratione de obitu Valentiniani Cæſ. diſertis verbis affirmans, *Catechu-*

menos de hâc vitâ ante perceptum Baptismum migrantes (quale exemplum tunc præbuerat Valentinianus) *posse salvari*, constabit inde distinctionem illam Christianorum in *Catechumenos & fideles*, non absolutam, rigorosè, absolutè & simpliciter oppositorum, qualis est inter *fideles & infideles* Marci 16. 16. Matth. 25. 34. 41. 46. sed respectivam fuisse, s. relativè, secundùm quid, & vel resp. *graduum* contradistinctorum, ita, ut *Catechumeni* nō simpliciter negarentur *fideles*: sed saltim respectivè & comparativè, respectu sc. *baptizatorum*, ἐξοχῶς talium, & in omnia *Ecclesiæ bona & jura* planè immissorum, idque distinctione magis Ecclesiasticâ, ratione *externi ordinis & disciplinæ veteris* in *Ecclesiâ* antiquâ, quàm Biblicâ vel *Scripturis* accuratè superstructâ: nec minùs, duriuscula Chrysostomi superiora, sive de Catechumenis in ipso aditu, nondum *de fidei doctrinâ* informatis, nedum *fide justificante donatis*, sive de quibusdam *immobilibus*, *insanabilibus & morosis* (quorum mentio in lib. Aug. de catech. rud.) Catechetarum auditoribus, talibus sc. quales illi Christi Matt. 13. 13. Joh. 6. 26. 52. 60. 66. intelligenda, sive Oratorio magis, quàm Theologico stylo, ad excitandum in Catechumenis ardentius catecheticum studium & baptismi desiderium, ὑπερβολικῶς dicta scriptaque esse.

§. 8. Sanè *consensum antiquitatis*, quem non facit Augustinus, Chrysostomus, vel unus alterve Doctorum, hîc allegare solidè non possunt, magis, quàm in termino *Regenerationis*, quem, cum contraxisse vehementer videri possent, non agnoscendo regenitos, ante baptismum: sed demum post illam, & adeo nonnisi baptizatos, vehementer iterum extendunt, dum omnes baptizatos, & aditum *ad jus vel bona Ecclesiæ* adeptos, etsi *saltem hypocritas*, appellant & censent regenitos, ut sic omnis non infans solùm: sed & adultus bapti-

baptizatus, (etsi *hypocrita*) sit regenitus: undè, prout quidam sensu Biblico *fidelis & regenitus*, stylo vel sensu Ecclesiastico veteri censetur non *fidelis* vel *regenitus*: ita contrà, quidam, qui sensu *Patrologico vel Ecclesiastico*, est & dicitur *fidelis & regenitus*, sensu Spiritu S. vel Biblico, non est *fidelis & regenitus*: in contradictorio autem sive reali, sive saltem verbali, tutiùs & rectiùs insistitur judicio, & *stylo Biblico*, quàm Patrologico vel Ecclesiastico antiquario, quod non autoritate solùm: sed & tempore infra Canonem scripturarum subsistit. Et hîc ablegandi Papistæ sunt ad *judicatum* domesticum, in *jure Pontificio*, (contra quod excipere non possunt) luculentum vid. ibid. dist. 9. Can. 3. 4. 8. 9. 10.

§. 9. Quod ad rem ipsam attinet, expedimus paucis conclusionib⁹ 1. *Salutifero Baptismi fructu vel effectu, nec infans nec adultus fruitur sine præcedente fide.* Probatur ex Marci 16. 16. Hebr. 3. 18. 19. c. 4. 2. Hebr. 11. 6. Marci 10. 14. idque patet ex naturâ promissionis de remissione peccatorum & vitâ æternâ, ab instituente annexæ sacramento ad salutarem inde fructum consequendum, quæ promissio, ipsaque res promissa non apprehenditur, nisi solâ fide Luc. 7. 48. 50. Rom. 1. 16. 17. c. 3. 20. 24. 28. c. 4. 5. 11. 16. Neque verò inde inferre licet. E. vel Fides non est fructus s. effectus Baptismi, vel non est salutifera, nec ex salutiferis Baptismi fructibus, vel, si utrumque, ipsâ fide nemo fruitur sine præcedente fide, & adeò *fides est ante fidem*. Ex ipsâ enim verborum evidentiâ, & contradistinctione fidei & salutiferi fructus baptismi facilè constat, fidem hîc considerari per modum *medii* vel *instrumenti* à Deo in homine producti, quo beneficia mediatoris ipsumque salutiferum fructum velut rem in Evangelio promissam possit apprehendere, conf. Joh. 3. 15. 16. 18. 36. c. 5. 24. c. 6. 40. 44. 45. Eph. 2. 8. Licet ergo fides sit *donũ Dei* etiam in Baptismo: imo & in infantib⁹ *effe-*

ctus baptismi salutaris baptizando (1. Pet. 1. 5. 9. c. 3. 21.) tamen ipsa fides donata non est effectus salutaris baptismi per modum *objecti promissi* fide apprehendendi: sed per modum *apprehensionis* vel *receptivitatis Organi*. Fides non *apprehenditur* (nec est ipsa remissio peccatorum & vita æterna) sed *apprehendit* (promissam illam remissionem peccatorum & vitam æternam) neque adeò ante *fidem* requiritur *fides*, quia sic idem esset, & apprehendens, & apprehensum, & adeo *fides*, & non *fides*, quia non apprehensionis organum. Nec valet: *Remissio peccatorum* & oblatio gratiæ & salutis quæ est in baptismo, non obtinetur sine præcedente *fide*, E. nec *fides* sine præcedente *fide*, qua ratione daretur processus in infinitum.

§. 10. Conclusio 2. *Eadem specie fides justificans datur in Infantibus & in adultis baptizatis.* Probatur ex axiomate Apostolico. Ephes. 4. 5. & conf. supra art. IX. §. 26. & art. XI. sect. 3. §. 2. 3. & seq. Igitur esto conclusio III. *Fides justificans & in Baptismo non datur, sine verbo, & extra vel ante Baptismum datur ex verbo sine Sacramento.* Probatur primum, quia Baptismus est λουτρὸν ὕδατος ἐν ῥήματι, & adeò sine verbo non existit nec operatur Baptismus, Ephes. 5. 26. Matth. 28. 19. Probatur secundum ex axiomate Apostolico universali, certè respectu adultorum convertendorum, Rom. 10. 17. Fides est ex verbo Dei audito (& adeò prædicato v. 14, 15.) quod non restringendum ad verbum prædicatum in baptismo: sed vel maximè referendum ad verbum prædicatum ante baptismum, ex scopo Apostoli, qui est *agere de mediis conversionis adultorũ*, constat, & ex ipsâ catenâ illius Oeconomiæ vocationis, in quâ *fides* deducitur, nõ ex Baptismo, velut visibili Sacramẽto: sed ex verbo prædicato & audito v. 14. quod velut primũ regenerationis mediũ, pro objecto habet *cor lapideũ*, ut mutet illud in *carneũ*, & adeò

& adeò *lapideis* quoq; adultorũ *cordibꝰ* applicabile eſt, & applicandum, ſecus quàm ſacramentum conf. Ezech. 11. 19. c. 36. 26. 27. Jer. 23. 29. Hebr. 4. 12. 13. Pſ. 29. 4. 7. 9. ad quod adeò ſcalæ faſtigium ſ. ipſam, ad *verbum fidei* prædicandum, miſſionem divinam & ex illâ miſſione prædicationem, aſcendit Apoſtolus, ſine mentione Baptiſmi, velut tali prædicationi non anteferendi: ſed eidem deinceps poſt *verbum* fidei, *prædicatum, auditum, creditum* in praxi apud *adultos*, ſubordinandi ſ. ſubjungendi, conf. Rom. 10. 14. 15. 16. 18. & porrò Rom. 1. 16. Jacob. 1. 21.

§. 11. Concluſio IV. Ad *Baptiſmum nec admittendi ſunt Adulti* (α) *infideles poſitivè*: nec (β) *infideles privativè*: ſed (γ) *fideles, ad minimum, reſpectu Eccleſiæ vel miniſtri Baptiſmi præſumptivè*. Probatur I. ex Matth. 7. 6. 1. Cor 12. 13. Tales ſc. infideles ſunt *canes & porci*, nec cum verè credentibus faciunt *unum corpus* E. coram illis ὁι μακαρίται *cœleſtes* non ſunt projiciendi, nec illis, *dandum*, quod *eſt ſanctum*. Probatur II. Omnis adultus *de doctrinâ fidei*, ipſaque *doctrinâ ſacramentorum* prius eſt informandus antequam ad Sacramentum admittendus, idque ex præcepto pariter & praxi divinâ, conf. de ſacr. *circumciſionis* Gen. 17. 2. 4. 7. 10. *Agni Paſchalis* Exod. 12. 3. 21. 26. 27. 43. 46. de *S. Cœnâ*, 1. Cor. 10. 15. 16. 17. 21. c. 11. 23. 28. 31. de ipſo inprimis *Baptiſmo* Matth. 28. 18. 19. Act. 13. 24. Luc. 3. 3. 4. 7. Joh. 1. 26. 29. conf. Act. 2. 22. 36. 38. 40. 41. c. 8. 5. 12. 26. 29. 30. 31. 34. 35. 37. 38. Act. 10. 33. 35. E. infideles privativè ſ. de doctrinâ Chriſti ejusque beneficiis, & ſacramento Baptiſmi, quid ſit, & quorſum conducat, nihil ſcientes, & hîc ἀγνοίᾳ Θεῦ (velut moraliter vincibili) laborantes, prout ipſi appetituri baptiſmũ (velut cujꝰ ignoti nulla cupido) haut facilè ſunt: ita nec ullo caſus neceſſitatis vel ignorantiæ invincibilis (quæ nonniſi moroſa & affectata foret) prætextu admittendi ſunt.

§. 12. Probatur III. Cùm ex mandato Christi jubentis, Adultis, antequam *baptizentur*, Evangelium *prædicare*, ut Evangelio credant, & ubi crediderint baptizentur, & sic salventur Marci 16. 15. 16. conf. quoque Act. 8. 26. 35. tum ex perpetuâ praxi Apostolicâ. Ita illi *ter mille* non baptizati sunt ab Apostolis, nisi postquam constabat, illos *compunctos corde, de medio æternæ suæ salutis solicitos*, & propositum ab Apostolo remedium *resipiscentiæ & baptismi libenter amplexos*, qui adeò *verè credentes*, vel saltem in tali probabili præsumtione apud Apostolos, baptizabantur conf. Act. 2. 37. 38. 41. Ita Philippus non baptizavit Samaritanos, *nisi quum credidissent sibi evangelizanti, quæ ad regnum Dei & nomen Jesu pertinent:* Act. 8. 12. & Simonem Magum, de quo ibidem v. 13. Simon *& ipse credidit, & baptizatus est:* fides adeo & Simonis Magi & Samaritanorum, antecedebat Baptismum, & præsumebatur à Philippo, cùm ex *attentâ verbi à se prædicati audientiâ*, & illius ac miraculorum *exceptione cum gaudio magno*, imò *cum stupore*, vid. v. 6. 8. 13. tum ex publicâ fidei confessione, quomodo ibidem v. 37. Philippus non admisit ad Baptismum *Dynastam Candaces*, nec agnovit admitti posse nisi credentem, unde, antequam admitteret, professionem illius fidei requisivit, & hâc editâ, (*Credo Jesum Christum esse Filium illum Dei*) demum *Dynastam Æthiopem* baptizavit v. 36. 37. 38. Ita Cornelius, quique ipsi tunc in *conspectu Dei* aderant, non sunt baptizati, nisi postquam de illorum fide Petro planè constabat, quo fine Petrus *præconium Evangelii*, Baptismo præmittebat Act. 10. 34. 42, 43. 44. 47. 48. Ita Lydia à Paulo non est baptizata, nisi postquam *Domino cor aperiente, attenderat Paulo prædicanti & sermonem fide exceperat*, Act. 16. 14. Ita de Corinthiis, à Paulo prædicante & potenter ex Scripturis evincente, *Jesum esse Messiam illum promissum*, in quo *solo salus* baptizatis, pronunciatur,

ciatur, quod 1. Verbum *prædicatum audiverint.* 2. *crediderint.* 3. *baptizati fuerint* Act. 18. 8. Ita prout Petrus ab auditoribus quæsitus, quid sui sit officii, non protenus respondit: *Baptizamini*: sed præmisit illud: *Resipiscite* (i. e. *agite pœnitentiam & credite Evangelio* Marci 1. 15. Act. 11. 18. c. 20. 21. Hebr. 6. 1. conf. quoq; Act. 3. 19. c. 26. 18.) Act. 2. 38. & deindè: *Baptizamini*: ita Paulus consultus à δεσμοφύλακι s. *carceris præfecto* quid sibi *sit faciendum, ut salvaretur*? non protenus ablegavit consultorem ad *Baptismum*, vel respondit: *Baptizare*! sed fidem requisivit, & *crede*, inquit, *in Dominum Jesum Christum & salvaberis tu, ac tota domus tua*! Act. 16. 31. unde jam præmisso præconio Evangelii, cum constaret de *fide*, & ipsum *baptizavit*, & quotquot erant domestici ejus v. 32. 33. 34.

§. 13. Conclusio V. *Fides adeo infantum incipit à Sacramento: fides adultorum ordinariè antecedit Sacramentum: prout tamen illa Sacramento totam debet hypostasin: ita hæc Auctarium & stereoma.* Ubi, cum utrumque membrum & illud de fide infantum hypostasin suam (conf. Hebr. 3. 14. c. 11. 1.) debente sacramento, vel in illo applicato, institutionis & promissionis verbo, & alterum de fide adultorum excussum jam supra sit, & vel in concluſ. 4. legitimatum satis, nihil attinet huic probando immorari. Conf. Luc. 17. 5. Rom. 4. 11. Addimus autem *Ordinariè*. In casu enim, si ille, quem Minister Baptismi vel Ecclesiæ, ex ipsâ professione fidei, præsumit verâ fide justificante à Deo donatum, verè credens non sit, sive quod illud ἐπερώτημα Petrinum s. illa *conscientiæ erga Deum fiducia*, vel illa *hypostasis* Hebr. 11. 1. desit, & nudus saltem *assensus* adsit, sive quod hypocrisi hactenus fefellerit, & talis sive hypocrita, sive nonnisi historicam quandam ad Baptismum fidem afferens, *in ipso actu baptismi* sive ex verbo ibi audito, sive ex Baptismo

ptiſmo in nomine P. F. & Spiritus Sancti collato, derepente, prout Saul in Collegio Prophetarum 1. Sam. 10. 6. 10. c. 19. 23. 24. immutaretur in *virum alium* (. *fide juſtificante primò omnium donaretur*, & ſic hactenus irregenit? primò omnium in ipſo Baptiſmo *regeneraretur*, ex illo ſubjectivè *extraordinario* judicandũ nõ fuerit de ordinario, ſ. adultos ad Baptiſmũ, non verã juſtificantem: ſed hiſtoricam ſaltem fidem afferre, & ſecundùm *ordinariam gratiæ œconomiam, fidem veram juſtificantem & regenerationem* demum in Baptiſmo accipere. Ab uno vel altero Catechumeno hypocritâ, vel ſine fide internâ juſtificante, cum ſolâ hiſtoricâ quadam doctrinæ notitiâ ad baptiſmum veniente, ad omnes Catechumenos, ſive hypocritas, ſive non niſi fide quâdam hiſtoricâ imbutos, non magis, quàm ab uno vel altero adulto hypocritâ, vel fide internâ deſtituto ad omnes adultos tales, valet conſequentia. Officium probandi ſeipſum non minùs obligat adultum in *perceptione Baptiſmi*, quàm *Sacramenti Evcharistici* conf. Matth. 3. 7. 8. & ſeq. 1. Cor. 10. 17. c. 11. 28. ac licet, ſi is qui baptiſmum vel S. cœnam ſibi diſpenſari petit, in tali probabili præſumtione apud dantem ſit, *quod ſeſe probaverit*, etſi forte hypocrita, Miniſter Sacramentum tali dare poſſit, ille tamen e. c. Simon Magus, ex hypotheſi, ſi ſc. fuiſſet hypocrita, quamdiu talis, nec petere, nec accipere baptiſmum debuit conf. Act. 8. 13. 20. 21. *Hypocrita nullus* (in ſenſu compoſito) in Baptiſmo fide donatur, & *regeneratur*; quod enim aliquando in *ſenſu diviſo*, deinceps, Hypocritæ converſo efficax Baptiſmus fiat, per accidens fit, & extraordinariæ debetur gratiæ, id operanti per Verbum poſt Baptiſmum præteritum, menti hypocritæ repræſentatum, quod operaturus ordinarie fuerat per verbum ante baptiſmum & huic converſo demum dandum. Ceterùm eſto

§. 14. Concluſio VI. *Catechumeni Spiritui S. non reſiſtentes, verbum fidei prædicatum audientes, illud ut verbum Dei*

in

in corde bono excipientes, etsi nondum baptizati, Sacramentis tamen Ecclesiæ, velut mediis augendæ & confirmandæ fidei ex præscripto divinitus ordine usuri, *actualem inde fidem concipiunt*, *s. actu credunt*, *filii & hæredes Dei*, *nec potentiâ solũ: sed & actu*, *prout Dei filii: ita & unius illius sanctæ*, *& catholicæ Ecclesiæ membra*, *sunt & sunt.*

§. 15. Notamus pro hâc conclusione I. sententiam, de fide aliâ *Catechumenorum* ante baptismum, velut merè *historicâ*, aliâ autem & reverâ *justificante*, non nisi demum in baptismo *donatâ* vel *infusâ*, & ipsis adeò adultis, demum indè à baptismo habendis pro *verè fidelibus & regenitis*, declinat ad geminam Papistarum hypothesin, unam de *fide adultorum* ante *baptismum*, eademque actuali quidem: sed nonnisi *dispositoriâ* & in omnibus adultis prærequisita ad obtinendam alteram illam *habitualem*, sc. quæ in baptismo unà cum gratiâ justificante *infundatur*, & à quâ *habituali* in Baptismo *infusa fide & gratiâ*, adulti, æquè ac infantes, *fideles* & regeniti demum à baptismo denominentur: alteram de Catechumenis, qui licet sint *fideles*, & salvari *possint*, si moriantur in eo statu, ante baptismum perceptum: tamen non *actu & propriè*: sed tantùm *in potentiâ*, nec *re*: sed *solo voto vel desiderio* sint in & de Ecclesiâ, vel Ecclesiæ Christianæ membra vid. Bell. l. 3. de Eccles. c. 2. &3.

§. 16. Licet autem contradictorium videatur, fideles demum dici *ab habitu fidei infuso in baptismo*, *gratiam* item *gratum facientem*, sine quâ nulla datur *justificatio*, demum infundi in baptismo, & tamen Catechumenos nondum baptizatos, esse *verè fideles*, *& salvari posse*: item Catechumenos nondum *esse membra Christi*, *nondum de corpore Ecclesiæ*, vel de Ecclesiâ *Christianâ*: imò generaliter, tales *non baptizatos*, *s. qui non dederunt nomina sua Christo per baptismum*, non pertinere ad Ecclesiam: sed ad τὰς ἔξω s. *ad illos qui foris sunt* (de quibus Paulus 1. Cor. 5. 12. 13. *Quid ad me*, *illos qui foris sunt*, *ju-*

dicare? annon de illis, qui sunt intus, vos judicatis, de illis autem, qui foris sunt, DEUS? Conf. Bell. l. alleg. c. 2. §. ult. & c. 3. §. 1. & 2. in fine) & tamen esse *verè fideles*, & *tales qui possunt salvari*, nec minùs: *Catechumenos esse quidem fideles*: sed non esse *de Ecclesiâ*, quia *hæc sit congregatio fidelium: Catechumenos autem nō esse fideles: sed contradistingui fidelibus* conf. Bell. ib. §. 3. c. 3.

§. 17. Licet quoq; indignū videatur, splendidis illis Ecclesiæ Encomiis (quæ cùm alibi, tum in Cantico Canticorum habentur) *spuria membra* velut genuina includi, vera autem, velut indigna Christi & Ecclesiæ membra, excludi, quomodo Bell. l. alleg. c. 2. §. pen. & ult. promiscuè, *Omnes non baptizatos, omnes excommunicatos, omnes schismaticos* simpliciter excludit, contrà, *manifestos peccatores, imo & infideles, dummodo non notorios, omnesque nullam habentes internam virtutem, quantumcunque reprobos, scelestos, impios*, includit, idque ex geminâ hypothesi falsâ, Unâ, ad definiendum membrum Ecclesiæ, non requiri *ullam internam virtutem*: sed solùm externam 1. *professionem veræ fidei. 2. communionem sacramentorum. 3. subjectionem ad legitimum Pastorem, Romanum Pontificem*, imò sufficere ad definitionem membri, ut aliquis sit *de corpore Ecclesiæ*, etsi non de *animâ*, sufficere *illum modum existendi in Ecclesiâ, quo existunt capilli aut ungues aut mali humores in corpore humano*: unde non saltem contra nostros & Joh. de Turrecremata disputans Bellarminus, defendere conatus est: *Ad verum Ecclesiæ membrum non requiri fidem*: sed & liberaliter concessit: *posse totum generale concilium vera fide carere*. Quid enim, inquit, *magnum esset, si 300. vel 400. homines, qui ad concilium conveniunt, fide vera carerent*? conf. Bell. l. 3. de Eccles. mil. c. 10. Et hæc tamen fuerit illa Papistis adeo declamata Ecclesia formalis, abstractiva, repræsentativa, eademque *columna & firmamentum veritatis*, quæ sc. tota consistere poterat ex hypocritis & occultis infidelibus? Alterâ

râ, Ecclesiam Catholicam *esse cœtum visibilem & palpabilem æquè ac regnũ Galliæ vel Respublica Venetorũ est*, eandemq; esse nonnisi Ecclesiam Romanam, sic ut qui non sit de hâc Ecclesiâ, nec sit de Catholicâ conf. Bell. l. alleg. l. 3. de Eccl. c. 2. & 3. neque tamen id nunc urgebimus: sed hypotheticum saltem Syncretismum sententiæ superioris Papisticum.

§. 18. Si enim tales non baptizati, quales hic non intelliguntur à religione Christianâ prorsus alieni, e. c. *Judæi*, *Turci*, *Pagani*: sed intentione veræ religionis ad Ecclesiam venientes, in *fundamentis Christianæ doctrinæ* informationem expetentes, quin illam jam, vel *cum gaudio*, amplectentes, propterea, quia nondum sunt baptizati, simpliciter negandi sunt *fide justificante* præditi, & sic verè *credentes*, utique negandum quoque fuerit, illos *actu Dei filios*, illos in tali statu morientes, *actu salvandos*, illos *veris Ecclesiæ* (quæ *congregatio verè credentium sanctorum est*) *membris* annumerandos, s. actu Ecclesiæ Catholicæ membra esse, quod vult Papismus.

§. 19. Notamus II. argumentum conclusionis primum, sc. Quicunque *spiritui gratiæ*, operationem gratiosam regenerationis vel conversionis aggressuro, vel jam aggresso, morosè *non resistunt*, verbum prædicatum audiunt, *in corde bono excipiunt & retinent*, ceteris mediis fidei firmandæ augendæque deinceps suo ordine usuri, illi ex verbo prædicato, & ut verbum, non *hominum*: *sed Dei*, *excepto*, convertuntur s. fide justificante donantur. Atque Catechumeni tales (vid. supra §. 14. 15.) E. Major ex Isaiæ c. 55. 10. 11. Hebr. 6. 7. Lucæ 8. 15. 1. Thess. 2. 13. conf. quoq; Joh. 3. 19. Act. 7. 51. c. 13. 46. 48. Pergimus inde: Quicunq; *actu credunt*, illi etiam *actu* sunt *filii Dei*, *& hæredes vitæ æternæ*, ex hypothesi *perseverantiæ finalis in fide*, actu salvandi. Atque omnes tales Catechumeni actu credunt. E. Major ex Ep. ad Gal. 3. 26. Joh. 1. 12. 1. Joh. 5. 1. 4. Rom. 8.

16.17. conferatur de hypothesi illâ, s. conditione perseverantiæ Coloss.1.23. Hebr.3.6.14.c.10.35.36. Matth.24.13. Rom. 8.17. Plus ultra inde: *Qui actu credunt* & sunt *actu filii Dei*, *actu salvandi*, illi quoque *actu sunt membra Ecclesiæ Catholicæ.* Atque tales Catechumeni E.

§. 20. In argumentis objectis partim committitur, *petitio principii*, (e. c. in hypothesi geminâ suprâ notatâ) partim *ignoratio elenchi.* Non quæritur: An Catechumeni, per Baptismum apponantur *Ecclesiæ visibili & particulari*: sed, an tunc demum *catholicæ & universali*, sic ut, etsi jam antea credentes, tamen non fuerint veræ Ecclesiæ Catholicæ membra? Frustrà adeò opponitur locus Act. 2.41. Illi *sc. ter mille*, tunc, prout paulo post, illi *5. mille* conf. Act. 4.4. simul *crediderunt* in Jesum, membra fuerunt Ecclesiæ Unius illius Sanctæ Catholicæ, etsi percepto Baptismo & adeo, per Baptismum demum, *appositi sunt Ecclesiæ Hierosolymitanæ.* Probatur sanè ex illo loco: *Baptismum non solùm infantibus esse necessarium: sed & adultis* conf. ibid. c.2.38 39. Ceterùm non, *eandē planè rationem effectus esse resp. adultorū*, ac si his æquè *ac infantibus fides & gratia regenerationis, primò omnium in baptismo obtingat, sic ut antea nullo modo sint regeniti.*

§. 21 Nec quæritur de *Infantibus*: sed de *solis adultis.* Nec de suppositione terminorum (*Fidelium*, *regenerationis*) impropriâ *ecclesiasticâ*: sed *propriâ* & *biblicâ*: nec de distinctione *catechumenorum & baptizatorum fidelium* aliquali, ratione gradus, ordinis, disciplinæ & juris Ecclesiastici: sed reali & peremptoriâ, ita ut propterea Catechumeni sint negandi *fideles.* Nec quæritur de Catechumenis, tam in *primo vestibulo*: quàm in progressu, talibus sc. quales erant illi Competentes, qui sanè illo ipso, quo Baptismum competebant, se jus habere ad *sacramenta Ecclesiæ*, ostendebant, prout omnes, ad verbum, & omnia in *verbo* promissa beneficia, jus adirumque habebant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0044
DFG

SECTIO V.

De Verbo promissionis Baptismi, eique oppositio condemnationis, & solâ incredulitate damnante. *Marci 16.16.*

§. 1.

ILlud ita habet: ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, i. e. *Ille qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur:* Hoc, ὁ ἀπιστήσας κατακριθήσεται, i. e. *qui non crediderit, condemnabitur.* Promittitur adeò salus æterna τῷ πιστεύσαντι, s. illi, qui in illa missione & prædicatione Apostolicâ crediturus erat Evangelio prædicato, de quo proximè præcesserat mandatum, *prædicate Evangelium omni creaturæ* v. 15. prout ἀπιστήσαντι s. *non credituro* illi Evangelio prædicato denunciatur κατάκριμα s. *condemnatio*, unde nec dicitur: ὁ βαπτισθεὶς καὶ πιστεύσας: sed ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς: qui enim Evangelio prædicato *crediturus* erat, nisi morte præventus, *Baptismum* quoque velut Sacramentum & *sigillum justitiæ fidei in Christum* petiturus, vel oblatum ab Apostolis admissurus erat, & sic futurus βαπτισθεὶς, unde, ne præsumeretur, sive in nullo casu servari, *non baptizatum*, etsi πιστεύσαντα, vel quendam *credentem* (non baptizatum sc.) *non servari*, sive ἀπιστήσαντα quendam *non condemnari*: sed saltem ἀπιστήσαντα μὴ βαπτισθέντα s. *incredulum non baptizatum*, non additur in opposito verbo, illud: καὶ μὴ βαπτισθεὶς s. *qui non crediderit & non baptizatus fuerit*: sed solùm illud: ὁ ἀπιστήσας s. *qui incredulus fuerit s. non crediderit, condemnabitur.*

§. 2. Nihil adeò inde pro thesi Papisticâ, quam (etsi falsò) Bellarminus imputat toti Ecclesiæ Catholicæ, *sc. omnes sine discrimine infantes de hâc vitâ absque baptismo recedentes damnari.* Contra 1. hâc ratione si sc. valeret illatio; *O. credens & bapti-*

baptizatus salvatur. E. nullus non baptizatus salvatur, de adultis non baptizatis potiùs subsumendum, & simpliciter concludendum fuerit. E. nullus adultus non baptizatus salvatur, cum respectus illius dicti primarius sit ad adultos, quibus ex Evangelio *prædicato & audito* fides confertur; sed & minùs excusabiles, qui sibi ipsis, prout olim circumcisionem; ita nunc Baptismum procurare possunt, quàm qui non possunt. Atque Bellarmînus, prout superiori sectione notatum, statuit *Catechumenos*, etsi *non baptizatos, salvari posse, & si habeant internas virtutes, salvari:* quod posterius si verum, prout omnino verum, sanè, pari jure, quo Bellarminus agnoscit, ex illo axiomate Servatoris, quoad adultiores s. Catechumenos, non solidè inferri sc. *omnes credentes & baptizati* salvantur, & adeo, *Quicunque nec credunt nec baptizantur, non salvantur. E. nulli non baptizati salvantur:* vel E. *non omnes credentes:* sed *soli credentes baptizati salvantur*, agnoscendum quoque, quoad infantes sine Baptismo decedentes, promiscuè & simpliciter damnandos, inde non solidè inferri, prout sanè & Logicè & Theologicè peccant illationes. *Qui credit & baptizatur, salvatur. E. O. qui non baptizatur, non salvatur.* vel E. *prout N. non credens salvatur: ita etiam nullus non baptizatus salvatur:* vel E. *qui credit quidem: sed non baptizatur non salvatur*, quâ ratione quidam πιςδσας condemnaretur, quod contradictorium pronunciato Servatoris non *de credente* s. πιςδσαντι: sed oppositio credenti τῷ ἀπιςήσαντι, *condemnationis* prædicatum pronunciantis, sine addito *non baptizati* s. μὴ βαπτισθέντι, unde inferre non licuerit: *Tantam esse necessitatem Baptismi*, ut etiam ὁ πιςδσας, *si non fuerit βαπτισθεὶς non sit salvandus:* cum contrà, omnis πιςδσας, qui tamen adultus, non potest non quoque extra inevitabilem casum esse βαπτισθεὶς, sit servandus: omnis ἀπιςήσας sive *baptizatus*, sive non, condemnandus,

§. 3.

§. 3. Occasione autem illius axiomatis quæsitum de *adæquata damnationis causâ est*, utrum hæc sit sola ἀπιστία s. *incredulitas*, utrum & *originale peccatum*, ceteraque ex hoc fonte profluentia? Ἐπίκρισιν Theologicam paucis expedimus conclusionibus: 1. *Peccatum originis, quod verè & propriè peccatum est, non solùm in se suaque naturâ vel actu 1. subjectivè damnabile: sed & ratione existentiæ in subjecto irregenito actu 2. damnans peccatum est, & afferens NUNC quoque mortem æternam, his qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum S.* Conclusio totidem ferè verbis, & ubique sensu, Augustanæ Confessionis est. Videatur ibidem articulus 2. Nec attinet hîc illam operosè probare: quod alibi abundè à Theologis est factum. Vid. quoque Harm. Symbol. in art. 2. Aug. Conf. Idem hîc judicium de *peccatis actualibus*, ex atro illo fonte profluentibus, quod illo suppositio assumitur potiùs, quàm operosè probatur. Igitur esto conclusio 2. *Per decretum de Mediatore peccatum originis, nec ratione maculæ, nec reatus & hujus sive naturalis, sive personalis, absolvitur*, nec adeò *sub utraque formalitate homini eximitur*: sed *saltem illius partim universalis quædam non imputatio, ut applicationis possibilis, & quoad impetrationem, actualis, absolutè, partim, particularis quædam & actualis non imputatio ordinata s. conditionata, salvâ actuali & particulari conditionata ejusdē peccati originalis & ex illo profluentiū actualiū imputatione in aliis, inducitur*, cui *decreto & proposito Divino mediante* προγνώσει *s. præscientiâ divinâ, tota immititur & prædestinatio salvandorum, & reprobatio damnandorum.* Notamus I. Decretū illud de Mediatore includere hîc non solùm universale & absolutum meritum: sed & illius certâ τάξει ordinandi consilium, & illam adeò decantatam Paulo in ep. ad Ephes. βουλὴν & εὐδοκίαν & θελήματος vel προθέσιν de quâ vid. Ephes. 1. v. 5. 9. 11. Notamus 2. Idem hîc esse, decretum illud de Mediatore, & ipsum

&ipsum Mediatorem consideratum in decreto, idq; cum ampliatione decreti, ipsiusque Mediatoris in decreto, ut 1. in ipsâ æternitate & arcano S. S. Trinitatis ordinati 2. ut generi humano lapso in Paradiso primò omnium intimati, & deinceps magis magisque cùm in promissionibus Evangelicis revelati, tum sub umbrâ sacramentali & sacrificiali V. T. adumbrati. 3. Mediatoris ut in plenitudine temporis exhibiti & consumati (Hebr. 5. 9.) ubi jam præstita est illa solutio non rapti Ps. 69. 5.

§. 4. Notamus 3. Per constitutum in irrevocabili illo Dei consilio, mediatorem, ipsamque sic hujus interventionem non inducta est simplex *novatio* vel *delegatio*, nedum talis *peremtoria* omnis criminalis obligationis in ipso genere humano lapso, per quam sc. velut prævenientem, nulla ex maleficio sive originali, sive actuali nascitura erat in ipso homine peccante *obligatio ad pœnam*, velut quæ jam antevertente satisfactionis Christi, in æternitate, decreto, per substitutionem alterius obligationis, (quæ fuerit novatio) & alterius personæ debentis, Christi sc. loco generis humani lapsi (quæ fuerit delegatio) sic transierit in personam & obligationem Christi, ut in homine, sive in Adamo (in quo omnes peccavimus) originaliter, sive in personâ propriâ actualiter peccante, post ipsum actum, simpliciter nulla maneat, sive peccati macula, sive reatus, vel *κατάκριμα*, & in tali immunitatis absolutæ statu posito, per æternam illam satisfactionis Christi interventionem, homine, jam in hoc requiratur fides finalis, quâ positâ salvetur, negatâ autem damnetur, ut hâc ratione nec peccatum originis, nec ullum actuale damnabile vel damnaturum in homine superfit: sed *sola incredulitas finalis*, & hoc sensu nunc *sola incredulitas finalis*, verè peccatum hominis sit, & sola damnet ac mortem æternam afferat, non *peccatum originis*, non quodcunque aliud, actuale, sive ante, sive post

post vocationem commissum. Declinaret illud ad *Pucciani-smum*, & per abnegatum sic statum peccati, & non integrum saltem de *homine corrupto*: sed & de *eodem reparato* articulum, universalis sc. redemtionis, justificationis & in hâc peccatorum remissionis, fidei justificantis, renovationis, beneficiorum Christi per verbum & sacramenta applicationis, omnem Legis, Evangelii & præconii Evangelici ac sacramentorum usum interverteret.

§. 5. Igitur notamus 4. Per interventionem illam Mediatoris in consilio S S. Trinitatis, obligatio criminalis formaliter generis humani, imputativè s. per veram & realem imputationem, sic facta est Christi, non à nobis: sed à Deo Patre in locum nostrum, ratione culpæ & pœnæ surrogati, conf. Psalm. 69, 5. Jes. 53. 6. Rom. 15. 3. 2. Cor. 5. 21. ut omnibus & singulis peccatoribus, totique adeò generi humano, universalis quædam peccatorum illorum Christo imputatorum *non imputatio s. remissio*, & sic reconciliatio sit impetrata: ceterùm eadem consilio S S. Trinitatis, sic ordinata, ut etsi in se universaliter est applicabilis, solis tamen fidelibus, citra discrimen temporis V. & N. T. & per solam fidem, actu sit applicanda, ut adeo, si fides, & per hanc talis imputatio justitiæ & plenariæ satisfactionis adsit, jam nec originale nec actuale, sive sine, sive cum regno verè inhabitans peccatum, nec ipsa *incredulitas* hactenus continuata, κατάκριμα vel damnationis actum inducere possit, prout si fides absit, vel incredulitas adsit, totum illud peccatum sufficientissime meritoria imo & adæquata damnationis causa, maneat: quatenus tamen, si fides in Christum Mediatorem adfuisset, talem damnationis effectum exercere non potuisset, prout nunc ubi incredulitas adest, exerit, & sic suppositâ illâ interventione *Mediatoris non raptum solventis*, sola incredulitas retinaculum

est omnis illius reatus, peccati damnantis, in tantum, & adeo non absolutè & simpliciter: sed respectivè & secundum quid rectè dicitur: *supposito pacto Evangelico vel decreto illo de Mediatore, ob solam incredulitatem præviſam, Deum ab æterno reprobaviſſe, & in tempore damnare, juxta* illud Servatoris Marci 16. 16. ὁ ἀπιςήσας κατακριθήσε) conf. quoque Joh. 3. 16. 17. 18. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non credit, non videbit vitam: ſed ira Dei MANET ſuper ipſum.*

§. 6. Ita Deus in Chriſto totum MUNDUM *ſibi reconciliavit*, NON IMPUTANDO *illis offenſas eorum*, ſic tamen, ut nemo fruatur illâ reconciliatione, niſi qui, *ſermoni illius reconciliationis*, qui offertur ſ. prædicatur per miniſterium S. Spiritus, credit, & ſic actu Deo reconciliatur, conf. 2. Cor. 5. 19. 20. 21. Prout juſtitia Chriſti, etiam poſt imputationem formaliter eſt Chriſti: ita injuſtitia noſtra etiam poſt imputationē, quâ imputata eſt Chriſto *agno Dei*, formaliter eſt & manet noſtra, neque hîc tollitur, niſi quatenus per imputatam illam Chriſti juſtitiam credentibus *non imputatur*, cum contrà, quibus illa juſtitia Chriſti non imputatur, illis injuſtitia tam originalis, quàm actualis omnis, cum ſuo reatu, non tollitur: ſed imputatur, quod totum cum faciat incredulitas, inde hæc ſolâ in Evangelio conſequenter, pronunciatur *damnationis cauſa*, conf. præter loca ſupra allegata Rom. 1. 16. 17. Joh. 16. 16. Act. 13. 38. 39. 41. 45. 46. 48. Hebr. 3. 18. 19. c. 4. 2. 11. c. 10. 35. ad usque finem. Atque inde jam *ſoli ab æterno à Deo præſciti, ut perſeveranter & finaliter in Chriſtum crediturí, à Deo ſunt prædeſtinati in æternitate & glorificantur vel ſalvantur in tempore*: omnes contrà, præſciti *ut perſeveranter ſ. finaliter increduli, reprobati ſunt in æternitate, & damnantur in tempore*, conf. Rom. 8. 29. Matth. 24. 13. Apoc. 2. 10. 2. Theſſ. 1. 8. 9. 10. c. 2. 13. 1. Pet. 2. 7. 8. Jud. c. un. 4.

§. 7.

§. 7. Conclusio III. *Incredulitas illa, ἀπιστία vel ἀπείθεια* in *negotio salutis considerata*, formaliter *nec est illa connaturalis speciei s. naturæ corruptæ, originalis, nec exindè proximè & directè profluens actualis incredulitas, fidei legaliter consideratæ opposita: sed peculiaris, supposito fœdere gratiæ & constituto ac revelato Mediatore, & originali illi, & in adultis actuali, superinducta, affectata & morosa contumaciæ, fidei Evangelicæ s. in Evangelio revelatæ, velut organicæ à parte nostri salutis causæ, privativè oppositæ, & sic objectivè & formaliter, quatenus est privatio illius fidei in Christum crucifixum, propositum à Deo placamentum in sanguine, ipsa quoque pro ratione oppositi ex Evangelio æstimanda, eademque non ut temporalis, vel ad tempus etiam longum, & morosè continuata: sed ut actualis, finalis, & actualis, immediata & adæquata damnationis causa.*

§. 8. Probatur quoad 1. Incredulitas illa originalis fuit partim παράπτωμα Adami, & in Adamo specificè existentis & peccantis generis humani, partim ἡ ἁμαρτία, quæ per *unum* illud unius Adami παράπτωμα *s. peccatum illud primum intravit in mundum*, prout, quæ velut malus malæ arboris fructus, ex illâ ἀνομίᾳ originali, immediatè profluxit, actualis *diffidentia*, incredulitas actualis. At neutra formaliter est ipsa incredulitas vel ἀπιστία Evangelica. Non hæc, quia incredulitas actualis Evangelica non datur nisi demum post *Evangelium revelatum*. At illa fuit in Adamo ante Evangelium revelatum Gen. 3. 7. 9. 10. Ita Legalis illa tota censetur & redarguitur, *ex sola Lege*, & opponitur *fidei* velut *virtuti & bono operi Legali*. De Evangelica neutrum. E. Hæc nõ est illa. Probatur: *Quæcunque fides non fuit Adamo integro concreata, & nec in ipsa primâ lege, sive supposita, sive formaliter exacta & requisita, nec comprehensa injustitiâ originali, illius oppositum, nec fuit*

ipsum Adami παράπτωμα, nec quæ ex Adamo lapso in omnes posteros naturaliter propagatur, ἀνομία. *Atque fides Evangelica in Christum ut Mediatorem & propitiationem pro totius mundi peccatis* (Rom. 3. 24. 25. 1. Joh. 2. 2.) *non fuit Adamo integro concreata, &c.* E. Minor concessa, Major ex natura contrariorum vel oppositorum. Sive enim *incredulitas Evangelica* fuerit primum inductivum illius *transgressionis*, sive formaliter *ipsa transgressio* Legis, utroque modo illius oppositum & ipsa adeo fides Evangelica esse debuisset in homine integro, ibi ut aliquod *donum Adamo concreatum*, in ipso lapsu primò omnium amissum, hîc, ut aliquod in ipsâ primâ lege exactum vel requisitum, cujus adeò privatio constituat formaliter transgressionem illam primam legis, s. παράπτωμα & peccatum Adami primum. At neutra. E. Ita, si incredulitas Evangelica fuerit ipsum peccatum originis, vel hujus pars intrinseca. E. fides Evangelica fuerit ipsa Adamo concreata *originalis justitia*, vel hujus *pars intrinseca*. Ratio consequentiæ, quia peccatum originis est carentia originalis illius justitiæ Adamo concreatæ, per lapsum autem Adami naturaliter & meritoriè amissæ. E. si fuerit carentia fidei Evangelicæ, in Adamo ante lapsum fuerit *fides Evangelica*. Contra. *Quod in arcanis sapientiæ Divinæ thesauris reconditum, demum post lapsum, in reparatione hominis procuranda fuit in Paradiso revelatum & datum, id Adamo ante lapsum nec fuit revelatum nec datum, ut objectum credendum.* Atque Evangelium de Christo, &c. E. Minor ex Genes. 3. 15. Aliud est illam incredulitatem sub duplici respectu, uno *objecti Evangelici*, altero *oppositæ fidei Evangelicæ*, cujus illa privatio est, appellatam Evangelicam, *materialiter, generaliter, & in actu quasi signato* esse ex peccato originali, & in lege damnari, quatenus ex illâ actualis quædam trahitur mysterio-

rum

rum supernaturalium ignoratio, & naturalis quædam contradictio 1. Cor. 2. 14. qualis sanè in lege redarguitur, & damnatur, aliud, illam *formaliter*, & sub duplici illo respectu, in actu exercito ratione non solum principii: sed & termini considerata, esse ex lapsu Adami, ex peccato originali ante & extra Evangelium revelatum derivatam, & talem, quæ unà cum oppositâ illi *fide Evangelicâ* cognoscatur & censeatur ex Lege, quod posterius negatur.

§. 9. Probatur quoad 2. Quod habetur ex lapsu primi hominis & peccato originali, illud prout per fidem Evangelicam *quoad reatum* tollitur: ita per oppositam incredulitatem non tollitur: sed retinetur. Atque incredulitas illa originalis & actualis habetur (partim) ex παραπτώμασι 1. hominis & (partim) ex ipsâ ἁμαρτίᾳ s. peccato originali. E. & adeo incredulitas Evangelica clauſtrum quasi quoddam & retinaculum utriusque illius originalis & actualis incredulitatis legalis est, & ne reatus illius solvatur, impedit. Probatur quoad 3. Licet etiam supposito fedele Evangelico & Evangelio revelato, naturalis quædam detur ἀδυναμία credendi cùm in infantibus, tùm in adultis, eademque conjuncta cum naturali quâdam resistentiâ, tamen non illa naturalis impotentia: sed quæ fidei actuali infantum & adultorum, qualis habetur ex Sacramento, vel ante Sacramentum, ex verbo fidei prædicato, opposita, ex Sacramento vel verbo neglecto vel rejecto inducitur, actualis incredulitas, illa ipsa Evangelica est, qualis intelligitur in axiomate Servatoris: ὁ ἀπιστήσας κατακριθήσε) Marci 16. 16. Joh. 3. 18. (prout sc. inter *credentem in Christum*, & *non credentem* s. πιστεύσαντα & μὴ πιστεύσαντα & ibidem inter πιστεύσαντα in Christum & ἀπειθῶν τῷ υἱῷ v. 36. ita hîc inter πιστεύσαντα & ἀπιστήσαντα, & ubique inter illum *non condemnandum*: *sed salvandum*, *vel vitâ æternâ donandum*, &

hunc, ut ex *Evangelio non salvandum: sed damnandum, sub ira Dei relinquendum* datur oppositio, & in hoc illius fidei Evangelicæ, quæ in termino positivo significatur, defectus vel privatio notatur) ut tamē in adultis illa ἀπιστία vel ἀπείθεια, magis se habeat positivè, quàm infantibus, & in ipsis adultis magis positivè (& vel conjuncta cum *blasphema contradictione* Act. 13. 41. 45.) in uno, quàm in altero, e. c. magis positivè in *Festo* Act. 26. 24. quàm in *Agrippâ* v. 28. & tamen formaliter hæc ἀπιστία *privationem* dicat illius *fidei Evangelicæ*, quod & etymologia ostendit grammatica, & oppositio illa *terminorum Biblica*.

§. 10. Probatur quoad 4. Dantur non saltem increduli, *negativè*, quatenus nunquam crediderunt s. fidem Evangelicam habuerunt: sed & *privativè* qui ad tempus quidem fuerunt verè credentes s. fidem Evangelicam ad tempus habentes: sed deinceps deficientes *s. sese Evangelio subducentes & in tali apostasiâ à fide, vel incredulitate finaliter perseverantes*, & hi omnes in sententia Servatoris damnantur, & talis adeo finalis incredulitas, cui velut finali ἀπιστία & ὑποστολῇ vel subductioni opponitur ὑπομονὴ πίστεως εἰς τέλος Matt. 24. 13. vel πίστις ἄχρι θανάτου s. fides adusque mortem Apoc. c. 2. 10. conferatur de finali illa incredulitate *Apostatarum* Luc. 8. 13. 1. Tim. 1. 19. 20. Hebr. 3. 14. 18. c. 6. 4. c. 10. 26. & à v. 35. adusque finem 2. Tim. 4. 10. 1. Tim. 4. 1. Dantur contrà, *verè credentes*, imo & *Electi* ad tempus à verâ fide deficientes, & cum essent πιστεύοντες, ad tempus etiam longum facti ἀπιστοῦντες, & nihilominus ex verè incredulis singulari Dei gratioso illum influxum redintegrantis proposito, rursus facti *credentes*, & in fide Evangelicâ perseverantes, qualis incredulitas, licet suâ naturâ sit *meritoria causa damnationis*, tamen non est *causa in actu damnationis in actu*, quia non est *incredulitas finalis*. Malè adeò Calviniani

ni

ni inferunt. *Si incredulitas est causa, cur Deus è lapso genere humano quosdam præterierit, omnes omnino homines fuerint præterundi: quia omnes fuerunt in incredulitate naturali.* Confunditur sic incredulitas illa Legalis & respectivè Evangelica, sed & incredulitas actualis præcisè sumta, & actualis *finalis*, quam causam dicimus *impellentem* & *meritoriam reprobationis* in æternitate, & immediatè adæquatam quoque *damnationis in tempore*, sic ut licet illa ratione graduum & omnium peccatorum spectata, his ipsis causalitatem naturalem damnandi non adimat: sed illa cum suo reatu retineat, quia tamen omnia illa, quanta, quanta etiam, si *fides Evangelicè considerata* adesset, damnare non possent, nec damnatura essent, (prout damnare non potuerunt æquè *Latronem conversum*, quàm alterum reprobum) hoc sensu, vel *respectu comparativo* (e. c. si quæratur, quare, cum uterque reatu æquè magnus peccator fuerit, non minùs æquè conversus sit uterque: sed alter salvatus, alter damnatus?) dicitur *sola incredulitas sub Evangelio damnare*, *vel hanc adæquatam causam damnationis actu ipso esse*.

§. 11. Constabit inde, quo sensu & orthodoxè ab Aug. conf. art. 2. contra Zvvinglium negantem, asseratur peccatum originis esse verè & propriè peccatum damnans & afferens NUNC quoque æternam mortem non renatis, & nihilominus, quod Bezæ grande παράδοξον visum, orthodoxè à Jacobo Andreæ in Colloquio Mompelgartensi dictum: *Impios non ideo damnari æterno exitio adjudicandos, quod peccaverunt: aliàs quoque omnes Electos fore damnandos: quoniam omnes peccaverunt* (conf. Rom. 3. 23.) *& egent gloriâ Dei: sed ideò damnari, quod nolint verâ fide amplecti Jesum Christum, qui non minùs pro ipsorum peccatis crucifixus, passus & mortuus est, quàm pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum*, pro quâ sententiâ,

sc. so-

sc. *solam incredulitatem, non item alia peccata, sub Evangelio damnare*, adduxit loca Joh. 3. 18. c. 16. 9. ubi solius incredulitatis mentio velut causæ adæquatæ actualis condemnationis, & Spiritus S. dicitur *redarguere mundum*, non de peccatis: sed *de PECCATO*: quonam autem? Additur statim: *Quod non credunt in Jesum Christum.* Quomodo & jam olim noster Lutherus: *Nullum opus tam bonum est, quod possit hominem salvare, nullum opus tam malum, quod possit hominem damnare. Sola fides salvat, sola incredulitas damnat* Hom. in Ev. Dom. 8. post Trin. & l. de capt. Bab. cap. de Baptismo! *Homo Christianus etiam volens, non potest perdere salutem, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere*, quia sc. prout Jacob. Andr. l. alleg. Act. Momp. p. 548. *Si quis credit in Christum, totius mundi peccata eum in infernum deprimere non possunt.* Nec minùs orthodoxè Brentius: *Nihil salvat, nisi fides. Nihil condemnat, nisi INCREDULITAS. Hæc enim est gloria Evangelii, quod peccata non condemnent: Sed SOLA INCREDULITAS.* Graviter autem monet: *Prout cum dicitur: Opera non salvare, non intelligendum, ideo non esse benè operandum: ita cum dicitur: Peccata non condemnant, non intelligendum, licere nunc impunè peccare. Prout enim ideo salvat fides, quia omnia bona à Christo accipit, & omnia bona in credente operatur: ita incredulitas ideo condemnat, quia omnia bona Christi rejicit, & non credentem in omnia vitia conjicit*, vid. Brent. com. in Joh. c. 3 & c. 16. ad v. 9. *De quo peccato arguit prædicatio Evangelii mundum? De infidelitate in Christum. Nam Evangelium docet, duntaxat unum esse peccatum, sc. in Christum non credere. Mundus verò incredulitatem non pro peccato judicat. Itaque revelato Evangelio revelatur etiam quod totus mundus sit in peccato, h. e. in incredulitate, & quod SOLA incredulitas in Christum sit verum illud & capitale peccatum, quo omnia etiam bona mala fiunt*, unde Christus addit: *De peccato, quia non credunt in me. Nam in Christum non credere demum verum & unicum peccatum est quod damnat, reliqua autem omnia peccata fide purgantur & absorbentur*: Ibidem: *Primum, inquit, revelati Evangelii munus est, ut doceat incredulitatem solam esse peccatum, è qua omnia alia peccata suam originem trahunt, & declarant totum mundum conclusum esse sub incredulitatis peccatum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0056
DFG

post vocationem commissum. Declinaret illud ad *Pucciani-smum*, & per abnegatum sic statum peccati, & non integrum saltem de *homine corrupto*: sed & de *eodem reparato* articulum, universalis sc. redemtionis, justificationis & in hâc peccatorum remissionis, fidei justificantis, renovationis, beneficiorum Christi per verbum & sacramenta applicationis, omnem Legis, Evangelii & præconii Evangelici ac sacramentorum usum interverteret.

§. 5. Igitur notamus 4. Per interventionem illam Mediatoris in consilio S S. Trinitatis, obligatio criminalis formaliter generis humani, imputativè s. per veram & realem imputationem, sic facta est Christi, non à nobis: sed à Deo Patre in locum nostrum, ratione culpæ & pœnæ surrogati, conf. Psalm. 69. 5. Jes. 53. 6. Rom. 15. 3. 2. Cor. 5. 21. ut omnibus & singulis peccatoribus, totique adeò generi humano, universalis quædam peccatorum illorum Christo imputatorum *non imputatio s. remissio*, & sic reconciliatio sit impetrata: ceterùm eadem consilio S S. Trinitatis, sic ordinata, ut etsi in se universaliter est applicabilis, solis tamen fidelibus, citra discrimen temporis V. & N. T. & per solam fidem, actu sit applicanda, ut adeo, si fides, & per hanc talis imputatio justitiæ & plenariæ satisfactionis adsit, jam nec originale nec actuale, sive sine, sive cum regno verè inhabitans peccatum, nec ipsa *incredulitas* hactenus continuata, κατάκριμα vel damnationis actum inducere possit, prout si fides absit, vel incredulitas adsit, totum illud peccatum sufficientissime meritoria imo & adæquata damnationis causa, maneat: quatenus tamen, si fides in Christum Mediatorem adfuisset, talem damnationis effectum exercere non potuisset, prout nunc ubi incredulitas adest, exerit, & sic suppositâ illâ interventione *Mediatoris non raptum solventis*, sola incredulitas retinaculum

est omnis illius reatus, peccati damnantis, in tantum, & adeo non absolutè & simpliciter: sed respectivè & secundum quid rectè dicitur: *supposito pacto Evangelico vel decreto illo de Mediatore, ob solam incredulitatem præviſam, Deum ab æterno reprobaviſſe, & in tempore damnare, juxta* illud Servatoris Marci 16. 16. ὁ ἀπιστήσας κατακριθήσε) conf. quoque Joh. 3. 16. 17. 18. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non credit, non videbit vitam: ſed ira Dei* MANET *ſuper ipſum.*

§. 6. Ita Deus in Chriſto totum MUNDUM *ſibi reconciliavit,* NON IMPUTANDO *illis offenſas eorum,* ſic tamen, ut nemo fruatur illâ reconciliatione, niſi qui, *ſermoni illius reconciliationis,* qui offertur ſ. prædicatur per miniſterium S. Spiritus, credit, & ſic actu Deo reconciliatur, conf. 2. Cor. 5. 19. 20. 21. Prout juſtitia Chriſti, etiam poſt imputationem formaliter eſt Chriſti: ita injuſtitia noſtra etiam poſt imputationē, quâ imputata eſt Chriſto *agno Dei,* formaliter eſt & manet noſtra, neque hîc tollitur, niſi quatenus per imputatam illam Chriſti juſtitiam credentibus *non imputatur,* cum contrà, quibus illa juſtitia Chriſti non imputatur, illis injuſtitia tam originalis, quàm actualis omnis, cum ſuo reatu, non tollitur; ſed imputatur, quod totum cum faciat incredulitas, inde hæc ſola in Evangelio conſequenter, pronunciatur *damnationis cauſa,* conf. præter loca ſupra allegata Rom. 1. 16. 17. Joh. 16. 16. Act. 13. 38. 39. 41. 45. 46. 48. Hebr. 3. 18. 19. c. 4. 2. 11. c. 10. 35. ad usque finem. Atque indè jam *ſoli ab æterno à Deo præſciti, ut perſeveranter & finaliter in Chriſtum credituri, à Deo ſunt prædeſtinati in æternitate & glorificantur vel ſalvantur in tempore:* omnes contrà, præſciti *ut perſeveranter ſ. finaliter increduli, reprobati ſunt in æternitate, & damnantur in tempore,* conf. Rom. 8. 29. Matth. 24. 13. Apoc. 2. 10. 2. Theſſ. 1. 8. 9. 10. c. 2. 13. 1. Pet. 2. 7. 8. Jud. c. un. 4.

§. 7.

§. 7. Conclusio III. *Incredulitas illa, ἀπιστία vel ἀπείθεια in negotio salutis considerata*, formaliter *nec est illa connaturalis speciei s. naturæ corruptæ, originalis, nec exindè proximè & directè profluens actualis incredulitas, fidei legaliter consideratæ oppositæ: sed peculiaris, supposito fœdere gratiæ & constituto ac revelato Mediatore, & originali illi, & in adultis actuali, superinductæ, affectatæ & morosæ contumaciæ, fidei Evangelicæ s. in Evangelio revelatæ, velut organicæ à parte nostri salutis causæ, privativè oppositæ, & sic objectivè & formaliter, quatenus est privatio illius fidei in Christum crucifixum, propositum à Deo placamentum in sanguine, ipsa quoque pro ratione oppositi ex Evangelio æstimanda, eademque non ut temporalis, vel ad tempus etiam longum, & morosè continuata: sed ut actualis, finalis, & actualis, immediata & adæquata damnationis causa.*

§. 8. Probatur quoad 1. Incredulitas illa originalis fuit partim παράπτωμα Adami, & in Adamo specificè existentis & peccantis generis humani, partim ἡ ἁμαρτία, quæ per *unum* illud unius Adami παράπτωμα s. *peccatum illud primum, intravit in mundum*, prout, quæ velut malus malæ arboris fructus, ex illâ ἀνομίᾳ originali, immediatè profluxit, actualis *diffidentia*, incredulitas actualis. At neutra formaliter est ipsa incredulitas vel ἀπιστία Evangelica. Non hæc, quia incredulitas actualis Evangelica non datur nisi demum post *Evangelium revelatum*. At illa fuit in Adamo ante Evangelium revelatum Gen. 3. 7. 9. 10. Ita Legalis illa tota censetur & redarguitur, *ex sola Lege*, & opponitur *fidei* velut *virtuti & bono operi Legali*. De Evangelica neutrum. E. Hæc nō est illa. Probatur: *Quæcunque fides non fuit Adamo integro concreata, & nec in ipsa primâ lege, sive supposita, sive formaliter exacta & requisita, nec comprehensa injustitiâ originali, illius oppositum, nec fuit*

ipsum Adami παράπτωμα, nec quæ ex Adamo lapso in omnes posteros naturaliter propagatur, ἀνομία. *Atque fides Evangelica in Christum ut Mediatorem & propitiationem pro totius mundi peccatis* (Rom. 3. 24. 25. 1. Joh. 2. 2.) *non fuit Adamo integro concreata, &c.* E. Minor concessa, Major ex natura contrariorum vel oppositorum. Sive enim *incredulitas Evangelica* fuerit primum inductivum illius *transgressionis*, sive formaliter *ipsa transgressio* Legis, utroque modo illius oppositum & ipsa adeo fides Evangelica esse debuisset in homine integro, ibi ut aliquod *donum Adamo concreatum*, in ipso lapsu primò omnium amissum, hîc, ut aliquod in ipsâ primâ lege exactum vel requisitum, cujus adeò privatio constituat formaliter transgressionem illam primam legis, s. παράπτωμα & peccatum Adami primum. At neutra. E. Ita, si incredulitas Evangelica fuerit ipsum peccatum originis, vel hujus pars intrinseca. E. fides Evangelica fuerit ipsa Adamo concreata *originalis justitia*, vel hujus *pars intrinseca*. Ratio consequentiæ, quia peccatum originis est carentia originalis illius justitiæ Adamo concreatæ, per lapsum autem Adami naturaliter & meritoriè amissæ. E. si fuerit carentia fidei Evangelicæ, in Adamo ante lapsum fuerit *fides Evangelica*. Contra. *Quod in arcanis sapientiæ Divinæ thesauris reconditum, demum post lapsum, in reparatione hominis procuranda fuit in Paradiso revelatum & datum, id Adamo ante lapsum nec fuit revelatum nec datum, ut objectum credendum.* Atque Evangelium de Christo, &c. E. Minor ex Genes. 3. 15. Aliud est illam incredulitatem sub duplici respectu, uno *objecti Evangelici*, altero *oppositæ fidei Evangelicæ*, cujus illa privatio est, appellatam Evangelicam, *materialiter, generaliter, & in actu quasi signato* esse ex peccato originali, & in lege damnari, quatenus exillâ actualis quædam trahitur mysterio-

rum

rum supernaturalium ignoratio, & naturalis quædam contradictio 1. Cor. 2. 14. qualis sanè in lege redarguitur, & damnatur, aliud, illam *formaliter*, & sub duplici illo respectu, in actu exercito ratione non solum principii: sed & termini consideratam, esse ex lapsu Adami, ex peccato originali ante & extra Evangelium revelatum derivatam, & talem, quæ unà cum oppositâ illi *fide Evangelicâ* cognoscatur & censeatur ex Lege, quod posterius negatur.

§. 9. Probatur quoad 2. Quod habetur ex lapsu primi hominis & peccato originali, illud prout per fidem Evangelicam *quoad reatum* tollitur: ita per oppositam incredulitatem non tollitur: sed retinetur. Atque incredulitas illa originalis & actualis habetur (partim) ex παραπτώμασι 1. hominis & (partim) ex ipsâ ἁμαρτίᾳ s. peccato originali. E. & adeo incredulitas Evangelica claustrum quasi quoddam & retinaculum utriusque illius originalis & actualis incredulitatis legalis est, & ne reatus illius solvatur, impedit. Probatur quoad 3. Licet etiam supposito fœdere Evangelico & Evangelio revelato, naturalis quædam detur ἀδυναμία credendi cùm in infantibus, tùm in adultis, eademque conjuncta cum naturali quâdam resistentiâ, tamen non illa naturalis impotentia: sed quæ fidei actuali infantum & adultorum, qualis habetur ex Sacramento, vel ante Sacramentum, ex verbo fidei prædicato, opposita, ex Sacramento vel verbo neglecto vel rejecto inducitur, actualis incredulitas, illa ipsa Evangelica est, qualis intelligitur in axiomate Servatoris: ὁ ἀπιστήσας κατακριθήσε) Marci 16. 16. Joh. 3. 18. (prout sc. inter *credentem in Christum*, & *non credentem* s. πιστεύοντα & μὴ πιστεύοντα & ibidem inter πιστεύοντα in Christum & ἀπειθοῦντα τῷ υἱῷ v. 36. ita hîc inter πιστεύοντα & ἀπιστοῦντα, & ubique inter illum *non condemnandum: sed salvandum, vel vitâ æternâ donandum*, &

hunc, ut ex *Evangelio non ſalvandum: ſed damnandum, ſub ira Dei relinquendum* datur oppoſitio, & in hoc illius fidei Evangelicæ, quæ in termino poſitivo ſignificatur, defectus vel privatio notatur) ut tamẽ in adultis illa ἀπιστία vel ἀπείθεια, magis ſe habeat poſitivè, quàm infantibus, & in ipſis adultis magis poſitivè (& vel conjuncta cum *blaſphema contradictione* Act. 13. 41. 45.) in uno, quàm in altero, e. c. magis poſitivè in *Feſto* Act. 26. 24. quàm in *Agrippâ* v. 28. & tamen formaliter hæc ἀπιστία *privationem* dicat illius *fidei Evangelicæ*, quod & etymologia oſtendit grammatica, & oppoſitio illa *terminorum Biblica*.

§. 10. Probatur quoad 4. Dantur non ſaltem increduli, *negativè*, quatenus nunquam crediderunt ſ. fidem Evangelicam habuerunt: ſed & *privativè* qui ad tempus quidem fuerunt verè credentes ſ. fidem Evangelicam ad tempus habentes: ſed deinceps deficientes *ſ. ſeſe Evangelio ſubducentes & in tali apoſtaſiâ à fide, vel incredulitate finaliter perſeverantes*, & hi omnes in ſententia Servatoris damnantur, & talis adeo finalis incredulitas, cui velut finali ἀπιστία & ὑποστολῇ vel ſubductioni opponitur ὑπομονὴ πίστεως εἰς τέλος Matt. 24. 13. vel πίστις ἄχρι θανάτου ſ. fides aduſque mortem Apoc. c. 2. 10. conferatur de finali illa incredulitate *Apoſtatarum* Luc. 8. 13. 1. Tim. 1. 19. 20. Hebr. 3. 14. 18. c. 6. 4. c. 10. 26. & à v. 35. aduſque finem 2. Tim. 4. 10. 1. Tim. 4. 1. Dantur contrà, *verè credentes*, imo & *Electi* ad tempus à verâ fide deficientes, & cum eſſent πιστεύοντες, ad tempus etiam longum facti ἀπιστοῦντες, & nihilominus ex verè incredulis ſingulari Dei gratioſum illum influxum redintegrantis propoſito, rurſus facti *credentes*, & in fide Evangelicâ perſeverantes, qualis incredulitas, licet ſua naturâ ſit *meritoria cauſa damnationis*, tamen non eſt *cauſa in actu damnationis in actu*, quia non eſt *incredulitas finalis*. Malè adeò Calviniani

ni inferunt. *Si incredulitas est causa, cur Deus è lapso genere humano quosdam præterierit, omnes omnino homines fuerint præteriendi: quia omnes fuerunt in incredulitate naturali.* Confunditur sic incredulitas illa Legalis & respectivè Evangelica, sed & incredulitas actualis præcisè sumta, & actualis *finalis*, quam causam dicimus *impellentem* & *meritoriam reprobationis* in æternitate, & immediatè adæquatam quoque *damnationis in tempore*, sic ut licet illa ratione graduum & omnium peccatorum spectata, his ipsis causalitatem naturalem damnandi non adimat: sed illa cum suo reatu retineat, quia tamen omnia illa, quanta, quanta etiam, si *fides Evangelicè considerata* adesset, damnare non possent, nec damnatura essent, (prout damnare non potuerunt æquè *Latronem conversum*, quàm alterum reprobum) hoc sensu, vel *respectu comparativo* (e. c. si quæratur, quare, cum uterque reatu æquè magnus peccator fuerit, non minùs æquè conversus sit uterque: sed alter salvatus, alter damnatus?) dicitur *sola incredulitas sub Evangelio damnare*, vel *hanc adæquatam causam damnationis actu ipso esse*.

§. II. Constabit inde, quo sensu & orthodoxè ab Aug. conf. art. 2. contra Zvvinglium negantem, asseratur peccatum originis esse verè & propriè peccatum damnans & afferens NUNC quoque æternam mortem non renatis, & nihilominus, quod Bezæ grande παράδοξον visum, orthodoxè à Jacobo Andreæ in Colloquio Mompelgartensi dictum: *Impios non ideo damnari æterno exitio adjudicandos, quod peccaverunt: aliàs quoque omnes Electos fore damnandos: quoniam omnes peccaverunt* (conf. Rom. 3. 23.) *& egent gloriâ Dei: sed idcò damnari, quod nolint verâ fide amplecti Jesum Christum, qui non minùs pro ipsorum peccatis crucifixus, passus & mortuus est, quàm pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum*, pro quâ sententiâ, sc. so-

sc. *solam incredulitatem, non item alia peccata, sub Evangelio damnare*, adduxit loca Joh. 3. 18. c. 16. 9. ubi solius incredulitatis mentio velut causæ adæquatæ actualis condemnationis, & Spiritus S. dicitur *redarguere mundum*, non de peccatis: sed *de PECCATO*: quonam autem? Additur statim: *Quod non credunt in Jesum Christum.* Quomodo & jam olim noster Lutherus: *Nullum opus tam bonum est, quod possit hominem salvare, nullum opus tam malum, quod possit hominem damnare. Sola fides salvat, sola incredulitas damnat* Hom. in Ev. Dom. 8. post Trin. & l. de capt. Bab. cap. de Baptismo! *Homo Christianus etiam volens, non potest perdere salutem, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere*, quia sc. prout Jacob. Andr. l. alleg. Act. Momp. p. 548. *Si quis credit in Christum, totius mundi peccata eum in infernum deprimere non possunt.* Nec minùs orthodoxè Brentius: *Nihil salvat, nisi fides. Nihil condemnat, nisi INCREDULITAS. Hæc enim est gloria Evangelii, quod peccata non condemnent: Sed SOLA INCREDULITAS.* Graviter autem monet: *Prout cum dicitur: Opera non salvare, non intelligendum, ideo non esse benè operandum: ita cum dicitur: Peccata non condemnant, non intelligendum, licere nunc impunè peccare. Prout enim ideo salvat fides, quia omnia bona à Christo accipit, & omnia bona in credente operatur: ita incredulitas ideo condemnat, quia omnia bona Christi rejicit, & non credentem in omnia vitia conjicit*, vid. Brent. com. in Joh. c. 3. & c. 16. ad v. 9. *De quo peccato arguit prædicatio Evangelii mundum? De infidelitate in Christum. Nam Evangelium docet, duntaxat unum esse peccatum, sc. in Christum non credere. Mundus verò incredulitatem non pro peccato judicat. Itaque revelato Evangelio revelatur etiam quod totus mundus sit in peccato, h. e. in incredulitate, & quod SOLA incredulitas in Christum sit verum illud & capitale peccatum, quo omnia etiam bona mala fiunt*, unde Christus addit: *De peccato, quia non credunt in me. Nam in Christum non credere demum verum & unicum peccatum est quod damnat, reliqua autem omnia peccata fide purgantur & absorbentur*: Ibidem: *Primum, inquit, revelati Evangelii munus est, ut doceat incredulitatem solam esse peccatum, è qua omnia alia peccata suam originem trahunt, & declarant totum mundum conclusum esse sub incredulitatis peccatum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0066
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0067
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746211074/phys_0068
DFG

ni inferunt. *Si incredulitas est causa, cur Deus è lapso gener*
mano quosdam præterierit, omnes omnino homines fuerint pr
eundi: quia omnes fuerunt in incredulitate naturali. Confun
sic incredulitas illa Legalis & respectivè Evangelica, sed
credulitas actualis præcisè sumta, & actualis *finalis*, quam
sam dicimus *impellentem* & *meritoriam reprobationis* in
nitate, & immediatè adæquatam quoque *damnationis*
tempore, sic ut licet illa ratione graduum & omnium pecc
rum spectata, his ipsis causalitatem naturalem damn
non adimat: sed illa cum suo reatu retineat, quia tame
mnia illa, quanta, quanta etiam, si *fides Evangelicè consta*
adesset, damnare non possent, nec damnatura essent, (
ut damnare non potuerunt æquè *Latronem conversum*, qu
alterum reprobum) hoc sensu, vel *respectu comparativo* (
si quæratur, quare, cum uterque reatu æquè magnus pecc
fuerit, non minùs æquè conversus sit uterque: sed alte
vatus, alter damnatus?) dicitur *sola incredulitas sub*
angelio damnare, *vel hanc adæquatam causam damnationis*
ipso esse.

§. 11. Constabit inde, quo sensu & orthodoxè ab
conf. art. 2. contra Zvvinglium negantem, asseratur pecca
originis esse verè & propriè peccatum damnans & affe
NUNC quoque æternam mortem non renatis, & nihilo
nus, quod Bezæ grande παράδοξον visum, orthodoxè à Jac
Andreæ in Colloquio Mompelgartensi dictum: *Impios*
ideo damnari æterno exitio adjudicandos, quod peccaverunt
liàs quoque omnes Electos fore damnandos: quoniam omnes pe
verunt (conf. Rom. 3. 23.) *& egent gloriâ Dei: sed ideò dam*
ri, quod nolint verâ fide amplecti Jesum Christum, qui non m
pro ipsorum peccatis crucifixus, passus & mortuus est, quàm
peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum, pro quâ senten

sc